ITER FVLDENSE
ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
PETRI ALOYSII
CARAFAE
Episcopi Tricaricensis, atque Apostolici Nuncij,

IN QVO

Periocha Historiæ, Visitatio, & Reformatio Celeberrimæ Abbatiæ S. Saluatoris Ciuitatis Fuldensis continetur.

CÆLIVS SERVILIVS
Perillustri Domino ROBERTO CANONICO Patritio Ferrariensi dicat.



LEODII,
Typis Ioannis Ouwerx, Sub S. IGNATIO,
M. DC. XXVII.
SVPERIORVM PERMISSV.



PERILLVSTRI DOMINO

ROBERTO CANONICO

Patritio Ferrarienſi

CÆLIVS SERVILIVS.

E Paternâ domo, incertum Aſtris aduerſis an propitiis, Aulæ tamquam Aleæ datus ſtatui, vt non penitus operam luderem, Hero meo non in vſibus vitæ neceſſariis modò, ſed in ſtudiis quoque atque affectibus famulari. Mecum verò fortunatè agi viſum eſt, qui potuerim apud Illuſtriſſimum PETRVM ALOYSIVM CARAFAM ponere jura famulatûs mei, hoc eſt apud Virum Principem, qui rarâ vtique laude nihil didicit amare, niſi aut Virtutem ipſam, aut quos nouerit à Virtute

omnibus commendari. Eius ergo perstudioso huic animo aduersus D^{em}. V^{am}. obsequi, & in ipsam velut famulitio ferri diù equidem optaui: sed quia vltra triennium iam detinet me absentem nescio quæ vis diffusa ex vertice Cæli glaciali, tametsi me decisum ex magnete aliquo lapide non planè credam: ad D^{em}. V^{am}. ferar saltem Itinere scripto, quod ei iam dedico. In hoc fortasse cum voluptate, aut certè absque fatigatione vestigia nostra releget: quæ si aliquando Italiam repetent, sistent me imprimis D^{i}. V^{æ}. famulum; sicut ei me iam offero, & precor, vt sit diù sospes, & diù felix. Leodij IX. *Sept.* M. DC. XXVII.

ITER

ITER FVLDENSE
Illustrissimi, ac Reuerendissimi PETRI ALOYSII CARAFÆ
Episcopi Tricaricensis, atque Apostolici Nuncij.

NObilisfsima Fuldensium Religiosorum Familia, sæculis non ita paucis, in Buchoniâ opibus iuxtà & sanctitate floruerat; cùm Lutheri tempore, velut grauis anni perculsa intemperie, languere primùm, deìn marcescere, desciscereque à priscâ Maiorum gloriâ cœpit. Etenim impij Desertoris probrosæ Nuptiæ, & sacrilegio initum connubium, dote locupletissimâ vitiorum, hoc imprimis Ecclesiæ malum peperêre; nempè exemplum sceleris & nefarij thori, vel certè promiscui luxûs, atque licentiæ cum Religionum habitu; si qui hunc nô penitùs abijcerent, quemadmodum egerat ipse, cùm homo liberaliter nequam factus est ex Monacho Maritus. Itaque Fuldenses Monachi etiam ipsi paulatim deserere tristes vitæ seuerioris vias, quibus tamen ad gaudia securi gradimur; sectari verò amœna, quæque à disciplinæ legibus sensim, sed improbè animum exsoluunt; neque conscientiæ ampliùs, aut saltem famæ consulere. Ex quo non moribus modò, verùm Aedibus quoque durante eo neglectu collapsis, numeroque Religiosorum adeò imminuto, vt paucorum capitum in Familia Fuldensi census haberetur, & ijs nihilominus ad licentiæ annonam ampli redditus, & prædia opulenta non sufficerent; Antistites plurimi restituere rem conati fuerunt: sed quæ semel irrepserat morû libertas,

bertas, legis nõ iam patiẽs, facilè iugũ excusſit. Fermè ab ipſis exordijs huius deprauationis, Anno Milleſimo Quingenteſimo Quadrageſimo Octauo, Philippus Schenck à Schweinberg, qui tũ erat Abbatiæ ſupremus Præſes, corripere ſuos aggreſſus, ac reſides eos, & paterna monita coaſpernãtes expertus, tametſi nihil impetrârit, ſaltem glorioſi conatûs exemplum Succeſſoribus reliquit. Anno Milleſimo Quingenteſimo Septuageſimo Secundo, & deinceps Balthaſar à Dermbach, ſentiens vtique ſtimulos ad id vnà cum Religioſo Principatu ſubdi animis Antiſtitum, quãdo à re priuata deuocantur ad regimen; excelſo vir animo, & immortalis recordationis, reparare Abbatiæ luctuoſas, & propè vltimas ruinas inſtitit quidem ipſe conſtanter; ſed ei pariter felicitas defuit. Siquidem Nobiles Patriæ maiorem partem Hæretici, & cum ijs Religioſorum Primi, conſpiratione factâ, ſolum vertere, & Principatu excedere ipſum indigniſsimè perpulêre. Tolerauit proinde, annos ampliùs viginti quatuor, exilij duram neceſsitatem nunquam imminutâ conſtantiâ, & demum ſuperſtes ærumnis, à RODVLPHO II. Cæſare reſtitutus, feciſſet ſerò etiam cum laude, quod ſatis maturè deſtinauerat pridem; niſi vitâ concedere, non ita multò pòſt, annorum peræquè ac meritorum numero benè cumulatus ſenex debuiſſet. Denique Ioannes Bernardus Schenck à Schweinberg tertius ab illo Fuldenſium Antiſtes, paribus ſtudijs Principatum indeptus, quo in præſentiâ potitur, ſtatim ab initio eo cogitationes has concipiens, eas pectore Patris diu fouit. A Summis verò Pontificibus, GREGORIO primùm Quintodecimo, dein VRBANO Octauo paternè ſtimulatus, vt Monaſteria, quibus præerat, omni ope adniteretur repurgare; has de multis Pontificias litteras in eam rem datas Vigeſimâ Septimâ Iunij, Anni Milleſimi Sexcenteſimi Vigeſimi Quarti, accepit.

VRBANVS PP. VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Militares copiæ robora Reipublicæ, & tranquillitatis præsidia sunt, si eas iustitia & pudor in officio contineat. At enim vbi licétiam pro modestiâ vsurpant, exitiosæ sunt ciuibus multò magis, quàm hostes. Contra hos enim & distringuntur gladij, & aggeres extruuntur; illæ verò in visceribus Ciuitatis hærent; & cùm ea assiduè lanient, publicis etiam stipendijs aluntur. Tanta vis inest disciplinæ, vt eâ neglectâ ad perniciem conuertantur, quæ parata erant ad tutelam. Id autem si cauendum est in bellicis legionibus, non est certè in monasticis Sodalitijs negligendum. Religiosæ enim familiæ militia sunt Cœli: quæ loricâ fidei, & gladio charitatis armatæ, debent Inferiorum hostium conatus exterrere, & animarum incolumitatem tueri. Eæ si pro labore desidiam, pro abstinentia luxuriem, pro seueritate delicias sectentur; periculum est ne earum praua exempla fiant arma iniquitatis, quibus Diabolus abutatur ad debellandas animas, & Religionem oppugnandam. Vtinam rarò tam grauia Catholici nominis damna, & dedecora lamentari cogeremur. Angimur enim, suprà quàm dici potest, vbi desertores hæretici, Monasteria mordacibus facetijs eludunt, eaque, quæ esse debent domicilia virtutum, & castra pœnitentiæ, diuersorium nequitiæ, & inertiæ asylum per ludibrium appellant. Hæc dum reminiscimur, vescimur pane lacrymarum, cogitantes ministerium Christi aliquando dedecorari in filijs nostris. De tanto crimine ne ad tremendum æterni Iudicis tribunal, Fuldensium Monachorum nomen deferri possit, pertinet præcipuè ad officium tuum. Accepimus istùc contemptum monasticæ institutionis, & licentiæ dulcedinem irrepsisse. Cogita quid à te ille tot sacrarum familiarum Princeps Benedictus exigat. Intuere illum è Cœlo

tibi

tibi imperantem, ne monasticam disciplinam istic corrumpi diutius patiare. Nullæ te difficultates remorentur, nulla querelæ exterreant. Aegrotantes etiam inuitos, etiam Medico minitantes curamus; qui tamen vbi conualuerunt, minarum voces vertunt in gratiarum actiones. Abbatiam istam, Apostolicæ Sedi immediatè subiectam, tantâ charitate complectimur, vt eam ad præcipuas Pontificatûs nostri curas pertinere velimus. Proin visum est Apostolicis litteris excitare diligentiam tuam, vt Emendator morum, & Restitutor disciplinæ quamprimùm istic nuncuperis. Quæ cognomenta etsi aliquam, tibi rem tantam incipienti, conflare possent inuidiam, fient tamen postea vincula mutuæ charitatis, & Pontificiæ sollicitudinis solatia. Ad id cùm te hortemur, Spiritûs Sancti gratiam accuratißimis precibus tibi flagitabimus; Cui Apostolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, &c. Pont. Nostri Anno primo.

Adhortatione tam graui mirificè auctus animo pius Antistes, tametsi verbis Pontificiæ Majestatis incensus peregregiè sibi videretur, habuit adhuc à FERDINANDO Secundo Cæsare noua suæ incitamenta pietatis. Is enim vti semper intrà Imperij fines Castra quoque Religiosorum disciplinam retinere, & iuuare votis sacrificijsque Castra Bellatorum ad victorias ad triumphos peroptauit; quò factum semper est, vt impietatem euentis secundissimis profligârit; litteras Tertiadecimâ Martij Die, Anni Millesimi Sexcentesimi Vigesimi Quinti ad eundẽ Antistitem IOANNEM BERNARDVM Viennâ dedit, & conscium se litterarum Pontificiarum differens, ei patrocinium omne, causâ restituendi mores antiquos in Familiâ Fuldensi, spõte pollicitus est, futurus quoq; ab hac parte, & in ijs conatibus Cæsar. Sic pro Viris ipse. LEONORA item Imperatrix Archicancellario suo IOANNI BERNARDO Abbati Fuldensi, è cuius manu Diuæ Augustæ Diademâ capit, pro altero sexu tutelam spopondit, atque pro Sacrarum Virginum cœtu; quò in Claustris Fuldæ deinceps agant,

agant, septa Cœnobij noua extrui flagitauit. Et verò his patrocinijs satis ipse animaduertit, pro opere strenuè obeũdo, suam conscientiam tegi, ac propemodũ coronàri. Proin instructus item nouo Pontificio Breui, quo VRBANVS VIII. potestatem ei Monasteria sua reformandi tribuebat, pœnis propositis aduersus eos, qui hæc molienti obniti contrà non verecundarẽtur; nihil habuit prius aut potius, quàm vt optimorum Religiosorum aliunde coloniam peteret, cum quibus Fuldam Dei cultus, & mores probi redirẽt. Placuit verò ex vno loco, quàm ex diuersis Cœnobijs eos accersere; ne dissimiles, & educatos non in vnis Aedibus turbaret (vti fit) animorum vel leuis aliqua dissensio. Delectui habendo non oportuit multum temporis dari, dum obuersaretur animo famaque, & odor vitæ, ac disciplinæ, quo clarissimum in Heluetijs Cœnobium S. Galli, latè Germaniam totam peruasit. Expeditione itaque susceptâ, & paucis adlectis comitibus, qui secreti consilij participes erant, eò contulit se nullâ Principis pompâ, quippe cùm in viâ se Principem cælaret, & has cogitationes pro solatio itineris animo ferens, exceptus perhonorificè à BERNARDO Sancti Galli Abbate, & S. R. I. Principe fuit. A quo in digressu Religiosos Professos septem, & Tyrones decem quos Fuldam adueheret, impetrauit nihil in Antistite illo deprehendens, siue quid in rem præsentem ageret, siue consilia & monita diuideret, quod venerandam senectutem eius non magnoperè deceret. Tanto igitur præsidio rebus Fuldensium ex Heluetiorum oris adducto, IOANNES BERNARDVS in Patriam vbi remigrauit, copiosam aliquam Religiosorum coëgisse sibi videbatur, ex quibus meritò plurium esset speranda successio: cùm minimè sterilis sit Virtus, quãdo accuratè custodit suæ sinum fœcunditatis, & quando non desunt obstetrices manus, quæ puerperio eius opitulentur. Sed opus difficilius est malè genitos, malè educatos quasi vtero restituere, atque vt

vno verbo dicam, reformare; quia non facilè fert Religionis infantiam, & disciplinæ pueritiam primam adulta morum seu licentia, seu libertas. Idcirco initia Reformationi ponēs IOANNES BERNARDVS ABBAS sensit operis ardui molem & ingemuit: Figulo enim, vasa omnia *in honorem* formare cupienti, restiterunt ex eis aliqua; perinde ac si *in cōtumeliā* esse præoptarent. Sed vt nihilominus spiritus Religiosæ Professionis in eis, hoc est *Thesaurus in vasis fictilibus* custodiretur, ratus tentanda omnia pius Antistes; & planè deprehendit, quæ viribus nostris desunt, affatim ea supplere tempore apto Deum lege immutabili prouidentię suæ. Disposuit quippe, vt interim VRBANVS VIII. cui Vicariam procurationem Orbis dedit, PETRVM ALOYSIVM CARAFAM Episcopum Tricaricensem, & ad tractum Rheni, finitimasque Germaniæ partes Legatum suum Fuldam pro potestate destinaret: quò ipse ibi Visitationem Apostolicam institueret, & inchoatæ Reformationis progressus strenuè iuxtà suauiterque proueheret. Ita verò habet Summus Pontifex in litteris.

VRBANVS PAPA VIII.

VEnerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cupientes vt in Monasterio Fuldensi Ordinis S. Benedicti Ecclesiastica Regularisq; disciplina, vbi collapsa est, restituatur, & vbi conseruata est, constantiùs perseueret, Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, Fraternitati tuæ, de cuius integritate fide prudentia, ac Catholicæ Religionis zelo, plurimùm in Domino confidimus;

mus;per præsentes committimus,& mandamus,vt tanquam Noster, & Sedis Apostolicæ Delegatus Monasterium prædictum, tam in capite, quàm in membris semel tantùm auctoritate Nostrâ visites & reformes,ac in eorum statum, consuetudines, vitam, mores,ritus, & disciplinam tam coniunctim, quàm diuisim diligenter inquiras: nec non Euangelica,& Apostolica doctrina, sacrorumq; Canonum, & generalium Conciliorum, & præsertim Tridentini decretis, ac SS. Patrum traditionibus, Regularibusq; Monasterij, & Ordinis prædictorum institutis, Apostolicâ auctoritate confirmatis inhærendo, quacunque mutatione, correctione, emendatione, reuocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoueris, reformes, mutes, corrigas, ac etiam de nouo condas; condita sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, institutisq; prædictis non repugnantia confirmes; abusus quoscumque tollas; bonas & laudabiles institutiones, ac imprimis Diuinum cultum, monasticamq; disciplinam, & obseruantiam regulares, vbicumque exciderint, modis congruis restituas. Si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos iuxta Canonicas sanctiones, & regularia instituta, huiusmodi punias & castiges: Contradictores quoslibet, & rebelles, eisq; auxilium,consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes, per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia cogas,& compellas, aliaq; in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facias, dicas,geras, & exequaris. Super quibus omnibus, & singulis, plenam, liberam, & amplam tibi facultatem, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur. Mandantes propterea Dilectis filijs eiusdem Monasterij Abbati, alijsq; Superioribus quocunque nomine nuncupatis, nec non Monachis, & alijs omnibus, & singulis ad quos spectat, vt tibi in præmissis omnibus promptè pareant, & obediant: tuaq; salubria monita, & mandata humiliter suscipiant,& efficaciter adimplere procurent; alioqui sententiam, siue pœnam quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

Volumus autem, vt si qua grauiora in huiusmodi visitatione reperetis, illa, nec non informationes omnes desuper sumendas, sub tuo sigillo clausas ad Nos quamprimùm diligenter transmittas, vt quod in illis statuendum sit, maturâ consultatione adbibitâ decernamus; non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Monasterij & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis Monasterio, & Ordini huiusmodi, illiusq; Abbati, superioribus, & alijs prædictis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus & singulis illorum omnium tenores præsentibus, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XV. *Maij* M. DC. XXVII. *Pontificatûs Nostri Anno quarto.*

Litteris Pontificijs Legato redditis, & de imminente aduentu eius Fuldensi Antistite per epistolam properè commonito; ille quæ ad iter, is verò quæ ad hospitium apparare statim: sed vterque sollicitudinem hanc miscere gaudio, & quasi temperare, quòd operi sancto admouere manum, & iuuare alterutrum liceret. Denunciata profectioni dies fuit decima nona Iunij. Quare vbi perlitatum Aris, & dictæ Preces, quæ viatoribus à Deo secunda poscũt, Illustrissimus PETRVS ALOYSIVS CARAFA, cum paucis è familia Visetum nauigio iturus, & ad ripâ cæteris adequitare iussis Leodio soluit, comitantibus eò Canonicis aliquot Ecclesiæ Primariæ Sancti Lamberti, & alijs honoris atque animi causâ: inter quos Franciscus Oranus item Cleri Visetensis Abbas, hospitio & cænâ prælautâ eum excepit. Mane cuncti ad primam lucem insederamus equos; atque ita vbi Amicis, qui

qui illò nos deduxerant, Illustrissimus valedixit, perreximus Iuliacum. Ibi antemissos Equites reperimus ex Cohorte Regiâ Marij Capecij Neapolitani, qui Illustrissimi latus per ea loca intuta tegerent: & posterâ die in vestibulo ipso nemoris, in quo Prędonum, & hostium Batauorum frequens est nidus, tota Cohors nos opperiebatur buccinâ perstrepéte, atque assultantibus in gyrum equis. Aduentantem Illustrissimum Vexillifer salutauit, ac pòst bipartita Cohors nos medios complexa, in Berchem deduxit, vbi statio eis interim, dum à prælijs feriarentur. Marius Capecius Dux fortè aberat, Bruxellis degens apud Serenissimam Principem; sed qui eius vice toti Turmæ præerat Thomas Ferraria, obuius Illustrissimo extra oppidum venit, tractauitque insuper prandio, quod duram Militum conditionem minimè referebat, & tantùm à Militibus esse indicabat tubis, quas Tubicines perpetuò super mensam inflabant. Idem eques fuit quoque pomeridianus comes itineris ferè Coloniam vsque; liberaliterque eo dimisso statim adfuit Rheda Illustrissimi Principis FRANCISCI A LOTHARINGIA Episcopi Verdunensis, ac supremi Decani Cathedralis Ecclesiæ Coloniensis: quâ in Ciuitatem inducti, atque in ingressu Militum explosione consalutati, diem insequentem quieuimus. Negotiosa tamen omnibus ea quies fuit; nam Legatus admittere Amicorum Coloniensium officia, interque ea donum Vini Senatorij à Consulibus datum: in causis quoque ius dicere, inuisentibus Illustrissimis Decano, & Canonicis primarijs spatium sermonis dare. Ante omnia verò Ioannem Baptistam de Ninis Perusinum Protonotarium Apostolicum atque Auditorē suum Bonnam ad Serenissimum FERDINANDVM Archiepiscopum atque Electorē misit, qui ei ex propinquo loco memoraret, offerretq; pristinam obseruantiam, atque insuper Illustrissimum Episcopum ac Principem Osnaburgensem IOANNEM FRAN-

CISCVM Comitem à VVartemberg salutaret. Cæteri ex Familia Nauim ornare, quâ Rheno aduerso Moguntiam, & inde aduerso item Mœno Francofurtum ascenderetur, atque in eam cibaria & necessarium commeatum importare. Sub vesperam huius diei Auditor Bonnâ rediijt cum Vno, qui Serenissimo Electori ab intimis Consilijs, postquam eius nomine Illustrissimum Nuncium Bonnam inuitâsset, cum eodem negotium graue pertractauit. Alterâ die non multò post Auroram Familia naui antecessit: sed nauigatione lentâ & perdifficili, propter vim aquarum, quâ se imbres perennes, viciniq; Amnes ac riui minores in Rhenum exonerabant. At Illustrissimus Nuncius, postquam Abbates tres Ordinis Sancti Benedicti antemeridianis horis audiuisset, spectatâ noui Templi structurâ, quod Serenissimus Elector MAXIMILIANVS BAVARVS in Ciuitate Coloniẽsi magnificentissimè Patribus Societatis IESV ad fastigium vsque iam exædificauit, Rhedâ Serenissimi Archiepiscopi Bõnam vectus est. In Pago propè ad viæ marginem sito Milites eiusdem, qui propter aduentum Legati, & securitatem illius, in agrum Bonnensem excurrerant, duodecim equites Prædones exarmabant, & captiuos agebant eodem vestigio temporis, quo is illùc aduentauit: itaque onusti spolijs sunt eum prosequuti, & ouantes ferè ac ludibundi. Horæ spatium aberat Bonnâ Legatus, cùm Rhedas alias binas obuias habuit; & Nobilis primarius ex Aula nomine Serenissimi eum excepit, induxitque in Ciuitatem & in Aedes Legatis, atq; Oratoribus Principum destinatas. Altero die familia item naui Andernacum præire iussa est, dum interim mutuis in alloquijs Legatus atq; Elector erant, ac demùm Mensa regio apparatu instructa sermonem excepit; in qua circumstante magno Nobilium numero Legatus atq; Elector sub aulæis purpureis consedêre, & proximè ad vtrumque latus Osnaburgensis Princeps, Episcopi Suffraga-

nei

nei Colonienſis & Paderbornenſis, ac deinceps partim tres ex familia Legati, partim alij Nobiles Patriæ, cuius tunc Bonnæ Comitia celebrabantur. Sublatis menſis Princeps Elector Legatum ad cubiculum eius reduxit, & quia iter Andernacum erat ſeptem circiter horarum, paulò pòſt ad Rhedas deſcendit atque abeunti valedixit, Cuſtodes eius Equites aliqui anteceſſerant vt graſſatorum vim, ſi qui viam inſediſſent, frangerent, aut propulſarent; alij Legatum ponè ſequebantur fuiſſentque tuta, & ſecunda omnia; modò non exundaſſet Rhenus: is enim tumens ripæ ſemitam nauibus dederat, Rhedis ademerat. Quarè ad leucas duas Germanicas prope Andernacum hæ progrẽdi nequiuerunt, & ideò commodatis vltro militum equis Legatus pergere cum ſuis ad Oppidum vſque neceſſe habuit: vbi cœnã ſubitaneâ contentus (vix enim amplius in multa Nocte à Familia expectabatur) cubitum feſſus de via conceſsit. Triduo dein Moguntiam venimus proluente ripas Rheno, & equos retardante qui nauim protrahebant; ſed fuit oblectatio aſpicere vtrumque fluuij latus collibus, & vinetis ſtipari ita cultis, ita frequentibus vt nuſquam vinum cum aquâ tam feliciter hoſpitari poſſe, vel aqua ipſa inter vinum tam innocenter interfluere videatur. Viſuntur etiam hinc & hinc frequentes Pagi oppidaque (ſpeculæ vineis colendis, cuſtodiendiſque) quorum magna pars nominibus ipſis tempora Cæſaris, & Druſi teſtãtur. In medio itẽ Rheno natant inſulæ plures: è quibus vna iuxta oppidum Bachara (ob vini præſtantiam dictum quaſi Bacchi Aram credunt) Aedificium habet, ad quod in puerperio Vxores Comitum Palatinorum Rheni antehac immigrãrunt; vt tenelli Domini, quos ibi parerent, ancillantem aquam priùs, quàm terram contingerent. Moguntiæ litteræ redditæ Abbatis Fuldenſis monuere Seligenſtadij affore vehicula: proinde tranſmiſſo Rheno Mœnum ingreſsi Francofurtum appulimus ipſo peruigilio SS.

Apoſto-

Apostolorum Petri, & Pauli; & hic naue alterâ conductâ (Coloniensibus enim nautis nauigare vlteriùs Ciues vetant) ipso festo die peractâ Re Diuinâ in Templo Carmelitarum, Seligenstadium profecti in puncto mediæ noctis eò venimus. Hora intempesta, & somnus Abbati eius loci facilè persuaserant, nullos tum hospites sperari posse, & fore vt solis nocturnis auibus pateret domus; ideo spatia horarum aliqua iam dormierant omnes, cùm excitati aut semisomnes audito aduentu nostro, accurrêre obuiam, & quidquid reliquiarum ex cœna semesa superfuerat, excusatâ verosimili persuasione, festini apposuerunt. Intererat P. Io. Reinardus Ziglerus paulò antè ab Vrbe redux, qui ex Arce Aschaffemburgi nomine Illustrissimi Electoris Moguntini, cui est à Confessionibus, venerat vt eò Illustrissimum Nuncium inuitaret, & cum hoc in cœna diu sermonem producentes Auroræ iam iam admonebamur; quam eo die nemo nostrû tamen vidit, oculis somno ferè nocti posthumo sopitis. Expergefacti luce plusquam adultâ, litteris Francofurto datis cognouimus Rhedas Principis Fuldensis, mox adfuturas, & ideo dilata est profectio ad Electorem Moguntinum, tribusque vehiculis iter rectâ Fuldam arripuimus. Eo die pertrãsiuimus incendio alicubi absumptos, alicubi semiustulatos pagos; reliquias prætereuntis dicerem fulminis, non militis; si de milite esset Sermo, qui aduersùs hostes & potentes, non aduersùs amicos & imbelles fulmen egisset. Sub noctem in oppido Gelhausen reperimus parata omnia ab Antecursoribus Principis Fuldensis: antequam tamen cœnæ accumberetur, Religiosi Ordinis Sancti Francisci Legato supplicârunt, vt Templum auxilio Militis Hispani (ad trecentos enim ibi pedites in præsidio erant) ab Hæreticis eâ ipsâ hebdomade vindicatum elueret piaculo, redderetque vsibus sacris. Moram eam pati ægrè potuissemus, quoniam posterâ luce Neouij à Fuldensi Principe

aduen-

aduentus noster certò expectabatur. Proin Legatus in Sacello Castrensi, priusquam abscederet, salem & aquam piâ impertiuit prece, & ea ritè confusa Religiosis illis reliquit, vt Templum ipsi proluerent ac lustrarent, iuxta Summorum Pontificum Diplomata, quæ facultatem hanc ipsorum Ordini tribuunt. Templum dein structurâ nec exiguâ, nec ineleganti fabrefactum inuisimus, gauisi potuisse eius possessionem adiri in loco, in quo Familia Catholicorum nequidem vna tum supererat. Legatum abeuntem Dux ipse cum aliquot militibus ad leucas fermè duas prosecutus est, & sub meridiem venimus ad Oppidum Comitis Hannouiensis, in quo primarius quidam Nobilis ex Aula Fuldensis Principis, cui à consilijs erat, Legato perprosperum aduentum gratulatus eidem obsequia Heri sui detulit disertissimè, ac prandio nitido tractauit. Tandem pomeridianis horis ferè ad locum Visitationis peruenimus; hoc est ad Arcem Neouij prope Fuldam ad leucam vnam: & quia in Ecclesia tum anniuersaria celebritas referebat Virginalia Mariæ Elisabeth grandæuam puerperam inuisentis, ex ea re pro Visitatione læti omen accepimus rei benè gerendæ. Obuius Legato primùm fuit cum aliquot Equitibus Pater Oswaldus Hegwein Societatis IESV, qui post salutationes & obsequia, Fuldensem Antistitem, cui est à Confessionibus, ad propriæ ditionis proximos fines Legato aduentanti obuenisse nunciauit. Eò itaque vbi ventum est, ille stipatus numero magno Nobilium & Aulicorum, Hospitem Apostolicum excepit per omnia obsequij & amoris indicia, & ita vt erant egressi Rhedas in vicem dixêre ambo, & se officiosissimè consalutârunt. Inde vecti simul processerunt, & alij partim equis anteibant, partim rhedis quatuor ponè sequebantur. Sed in primo Pago, inter dispositos milites centenos, constitimus paululum, intercurrentibus per rhedas per equos, qui vini lagenas & bellaria ferrent ad sitim restinguendam;

ibique coram eo militiæ apparatu Germani & Itali amiciſſimè poculis certârunt. Poſt horam circiter inter milites multò plures, Neouij Arcem intrauimus, plauſu militari vndique perſtrepente, in eâque nihil reperimus, quod Hoſpitem nobis Principem non referrent. Vaſis enim argenteis auro litis prægrandibus vina rurſus, & dulcia omnis generis bellaria in cubiculis ſupra menſam appoſita nobis occurrerunt; ſi qui fortè noſtrûm voluiſſent ſe denuò inuitare: cœnamque opiparam primis tenebris inſedimus; poſt quam nocte placidiſsimâ quieuimus. Spatium vnius diei ſubſtitimus Neouij, vt interim Fuldæ Viſitatio indiceretur: quem ad finem affixæ valuis Principis Eccleſiæ, & ſacrarum Aedium aliarum, atque adeò foribus Arcis paginæ fuerunt, ſigillo maiori obſignatæ & conceptæ in hanc formam.

PE-

PETRVS ALOYSIVS CARAFA,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Tricaricensis, Sanctissimi D. N. VRBANI Papæ VIII. & eiusdem Sanctæ Sedis ad Tractum Rheni, & Inferioris Germaniæ partes cum potestate Legati de Latere Nuncius, & pro Visitatione Monasterij Fuldensis, eiusque Reformatione Commissarius ab eodem Sãctissimo specialiter Delegatus &c. Reu.mo Abbati, Admodum Reu.dis & Religiosis DD. Decano, Præpositis, Capitularibus, & reliquis Monachis, Vniuersæque Familiæ Monasterij Fuldensis salutem in Domino sempiternam.

P*Aterna viscera charitatis, quibus Sanctißimus D. N.* VRBANVS *Papa* VIII. *nobilißimũ Ordinem Sancti Benedicti, in Germania præsertim, ætate iam tot sæculorum florentem complectitur; & eius imprimis amor erga Fuldensem Abbatiam, filiam primæ dilectionis, atque in Religioso Ordine suo primæ dignitatis, inuitârunt eum denuo ad officia Patris & veluti ad vbera rursus vobis exerenda*, vt quasi modò geniti infantes *de pectore eius* lac concupiscere *non diù debeatis: sed expleamini ab vbertate charitatis; atque* in viros perfectos *adolescere cum gloria iterum*

rum poßitis. Nouit ipse videlicet, sæpe Ecclesiæ filios à vetustate spiritûs renouari debere, & prolapsos in veterem hominem *debere interdum vtero reddi*, vt sint nouum figmentum, & noua creatura. *Ideo sæpenumero pectus disponens, vlnasque præparans, vt illos* iterum parturiat, donec formetur in eis Christus; *hoc noui Patris munere affectum antiquum exprimit Pontificiæ charitatis. Nec aliud in præsentia cum Abbatia Fuldensi præstiturus est: dum Nobis visitandi munus demandauit, voluitq; per Nos curari, si quid virtutis addi, aut si quid imperfectionis oporteat demi. Afferimus itaque vobis eius quasi pectus, vlnasque ad complexum, ad amorem: & fouendis nouis prolibus Patrem absentem hîc vobis, in munere Visitationis obeundo, quodammodo repræsentamus. Virtus renasci sæpe solet, & redire ad lumen pristinæ iuuentæ, cùm emoritur, cùm senescit. Sed sepulta iacet, quando copiâ parentum destituitur, & quando desunt ei obstetrices Præsulum manus, qui eius puerperium iuuent. In vobis si rugas virtus contraxerit vetustatis, vel si (quod non opinamur) languida fuerit, & fortasse etiam inceperit mori; ne Parens desit, & ne desint auxiliatrices manus, ad partûs noui felicitatem, Sanctißimus Dominus Noster iam effecit: dum Nos ad nobilißimam vestram Familiam visitandam, auctoritate Apostolici Legati etiam peculiaribus Pontificijs literis expressa, huc aduenire mandauit.*

Ad laudem itaque, & gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Ordinis clarißimi Sancti Benedicti nouum ornamentum, Vobis vniuersis, & singulis Visitationem indicimus, quam die quartâ Iulij in Cœnobio Fuldensi, quod cæteris præest, auspicabimur, & Deo fauente continuabimus in domicilijs alijs; pro quibus dies etiam certos constituemus. Cùm autem non aliò conspirent desideria nostra, dum vestra Religiosæ Familiæ loca visitabimus, quàm vt in eis odor ille vitæ, & disciplinæ suauißimus denuo spiret, quo vester Ordo terrarum Orbem vniuersum, & vestra hæc nobilissima Fuldensis Abbatia Germaniam totam fragrantiâ suâ, anteactis temporibus, ad pietatem omnem fouit simul, ac delectauit: vt id con-

id consequi faciliùs, certiùsq; possimus, vos dilectos Nobis in Christo Reuerendiss. Abbatem, RR. Decanum, Præpositos, & reliquos Ministros Cœnobiorum Fuldensis Abbatiæ paternè hortamur, & pro Legati potestate vobis iniungimus, vt intra triduum à die promulgationis, aut affixionis præsentium ad Valuas Ecclesiæ Fuldensis faciendæ, omnia acta, & decreta, si qua in eorum Visitatione aliàs per superiores Legatos Sedis Apost. qui Nos antecesserunt proposita, & promulgata fuerint, Nobis adferant, & exhibeant, atque eorum insuper statuta, ritus, instituta, priuilegia, obligationum onera, quæ vniuersis, & singulis incumbũt, Nobis manifestent. Demum quæcunque ad Dei gloriam augendam, & ad Cœnobiorum, Religiosorumq; præsidium maius, atque ornamentum facere videbuntur, ea Nobis suggerere optimâ fide deberent, vt Visitatio numeros illos perfectionis habeat, qui vestrum Ordinem, vestram nobilitatem, vestram familiam Fuldensem deceant: quò inter cæteras Germaniæ dici possit omnium iudicio, non temporarium dumtaxat, sed virtutis quoque obtinere Principatum. Imploremus Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, vt oleo effuso Nominis sui, *cælitùs perfundat corda singulorum: quò cunctis iugum vitæ liberioris* computrescat à facie eius olei, *& iugum Religionis alterum suaue eis, onusque leue efficiatur. Vt verò sanctè, ac temperatè succedant omnia, etsi de familia nostra fide, atque integritate nihil quicquam dubitamus (quæ de ipsa sæpius ab hac parte habuimus experimenta) nihilominus sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini decreta venerantes, sub pœna Anathematis seuerè inhibemus, ne Religiosorum vlli munera offerre, & ne ij qui sunt in familia nostra pecuniam, aut munus quodcunque, quouis titulo, in hac Visitatione petere, vel datum vltrò accipere præsumant; sed contenti Nobiscum sint victu religioso, & frugali, qui iuxta præscripta Sacrorum Canonum, necessitate mensuretur, non voluptate. Datum ex Arce Neouij. Die 3. Mensis Iulij, Anno,* M. DC. XXVII.

Solis

Solis die illucescente, Rhedis quinque, præsultante Equite cum tuba, Fuldam expectati venimus. A suburbij vestibulo ipso, & per Ciuitatem deinceps vsque ad Principis Palatium, inter militem vtrimque cum accenso fomite ad bombardulas in gradu hærentem, iuimus iucundo spectaculo; quia plurimi simili sago erant, & hinc tympanis, hinc explicatis signis pulchrè distinguebãtur. Primas gratulantium voces dedêre Innocentuli Paruuli Candidati, qui Rythmis Germanicis blandè succinentes Legato cum vexillulis occursârunt: & pòst ad fores Templi, vbi hauriunt Christianæ Fidei rudimenta, densa erat illorum cateruula, quæ modulando aduentãti Hospiti benè precabatur. Dein è Gymnasio Societatis IESV Nobiles iuuenes, diuersis locis Vrbis, adfuêre gratulabundi. Equites tres armis & baltheo insignes, cristâque versicolore verticem ornantes, qui ternos Militiæ Cœli Præsides referebant, in hæc verba sunt, equis ad Rhedam adductis, prolocuti.

MICHAEL.

Quidni Angelici exercitus terni Ductores & Antesignani Angeli, Reuerendissime Præsul, Princeps Illustrissime, in festiuo Vrbis vniuersæ vndiq; excita tibiq; occursantis applausu te ANGELVM, *Angelum inquam, & à Deo ablegatum* NVNCIVM *primi omnium consalutamus? meritò ego cœlestis Militiæ Signifer & Princeps* MICHAEL, *Ecclesiæ totius protector atque custos, te ab Ecclesiæ Capite* VRBANO OPTVMO MAXVMO *ablegatũ, te Ecclesiæ meæ Episcopum, te* NVNCIVM APOSTOLICVM *in Ecclesiæ meæ emolumentum hanc Vrbem ingredientem, & Angelicâ salute impertio, & auxilium opemq; Angelicam promitto. Age ad Ecclesiæ meæ commodum quod agis: hic te fulmineus mucro, ne vereare, hæc te arma contra Tartarei Serpentis irritas machinationes defensum dabunt.*

GABRIEL.

Dei Fortitudo GABRIEL, *Religiosissime Antistes, è beatissimis Supe-*

Superorum sedibus delapsus Angelicam asporto salutationem. Eia Vrbis Fuldanæ mœnia subire ne reformida. Ego tuis sanctissimis conatibus adero; ego neruos & robur, ego vires & efficaciam, ego fortitudinem & constantiam ad ea, quæ Dei causâ geres, promptè suscipienda, feliciter exequenda, constanterq; perficienda suppeditabo.

RAPHAEL.

Dei Medicina RAPHAEL, *ad peregrinas terras adeuntium Comes & Tutator, te Reuerēdissime Antistes, iter illud periculosum iuxtà & difficile Dei Ecclesiæq; eius causâ agentem, & comitatus sum & tutatus. Nunc verò ad destinatum optatumq; deducto terminum gratulor, & plaudo. Eia, Præsul Illustrissime, mortalium esto Medicina, deprauatis medere moribus, pestes morbosq; animorum cura. Ego si quid aduersi ceruicibus fortè tuis impēdebit, à te dimouebo, propulsabo.*

In foro lecti Iuuenes alij togâ veteri Romanâ conspicui, velut Oratores è Rhetorices adytis prodiêre, ac Eloquentiæ priscos Antistites imitati hos dedêre plausus.

M. TVLLIVS CICERO.

Adeste fori principes, gens triumphalis Oratorum, manibus date lilia plenis, & quidquid rosarum fœcunda cumulauit Eloquentia latis effundite calathis. Sic Romuli nepotum disertissimus iubeo TVLLIVS. *Vestro applausu honorandus venit Latinâ de gente Præsul Illustrissimus* PETRVS ALOYSIVS, *cui magnus* CARAFARVM *sanguis Nobilitatem, singularis humanitas sui apud omnes desiderium, copiosa virtus nominis celebritatem, constans æquitas gratiam, officij magnitudo gloriam conciliauit. Promite quod aspectu tanti Viri exhilarata suggesserit Dea eloquentia. Procul absit trepidatio: si minus Virtute eius dixeritis, ignoscet facilè clarissima illa generosi pectoris modestia; si quid illustri gloriâ exilius, humanissima Præsulis facilitas non voluntariam tenuitatem pro copia existimabit.*

M.

M. CRASSVS.

Tantas, Illustrißime Domine, tamq; multiplices aduentus iste exoptatißimus gratulandi gestiendiq; parit hodie causas, vt in ambiguo pendens facundia dubitet; vtrum id dicendo aggrediatur cuius finem se inuenturam non videt; an quia finem desperat, saltē initium faciendo voluisse fateatur?

M. ANTONIVS.

Nimirum in isto ore Maiestatis Virtutisq; plenißimo intueri nobis videmur ipsam pœne Romam quondam Orbis terrarum ferro Dominam, nunc Orthodoxæ fidei syncerâ Religione Magistram; olim magnificentißimis Imperatorum triumphis nobilitatam, nunc Summorum Pontificum quasi Diuinâ in terris Maiestate, vltra Solis lucisq; vias gloriosam.

Q. CATVLVS.

Felix Rhenus, cuius Religioni talem præfecit Roma Magistrum, cuius Nobilitas est gloriosa, scientia indubitata, mens inuicta; cuius vultus maiestatem spirat, vox sapientiam docet, Vita loquitur integritatem; Talem te enim, Illustrißime Domine, fama depingit, conuersatio testatur, vita probat.

C. PISO.

Harum tantarum rerum, Illustrißimiq; Nominis tui gloria excitata Buchonia sibi gratulatur, eius vel aspectu frui posse, quo propter incredibilem vtilitatem & iucunditatem terrarum alia nobiliores satiari non possunt.

Q. HORTENSIVS.

Verbo complectar, Illustrißime Domine, quod tota nequit facundia, cur gratulabundus hic cœtus se tuæ Illustrißimæ Dignitati obuiam tulerit. Sic Fuldam vniuersam sentire existima: relictam in his terris Religionem & Pietatem Illustrißimæ Virtutis tuæ radijs fouendam benignius, illustrandam clarius, & copiosius adaugendam.

SERV.

SERV. SVLPITIVS.

At tibi, Illustrißime Princeps IOANNES BERNARDE, *quid tua hodie Fulda? nunc quidem virtutem illam ingentem, atque Illustrißimam generositatem gratulabunda suspicit & admiratur: olim verò æternis laudum præconijs ad Cœlum tollet, quòd hodie illud lumen omnibus palàm ostenderis, cuius ardorem, claritatemq́, memor & melior posteritas Maioribus suis gaudebit affulsisse.*

Cecinêre ad finem omnes:

Benè sit Illustrißimo PETRO ALOYSIO,

Feliciter Illustrißimo IOANNI BERNARDO.

Pubes alia minor, in plateâ Vrbis laxiore, sucs Rectos orationis vinctæ & solutæ sonos effudit lętabunda. Principiũ fecêre hoc dialogo GRAMMATICA, ET ETYMOLOGIA.

GRAM. *Ingenuas inter non vltima censeor Artes,*
Quarum Fuldiaco Sacra docentur agro.
Grammatici Regina potens atque Induperatrix
Imperij, Pueris audio Grammatica.
Hùc socio stipata choro, turbâque Clientûm
Cincta salutatum, nescio quem, venio.
Euge Soror, quæ vim depromis Etymologia,
Verborum, nomen Principis ede mihi.
Aduena quis Princeps? ETYM. PETRVS *est* ALOYSIVS
GRAM. *vnde*
Missus? ETYM. *ab Vrbe, Orbis quæ caput est, & erit.*
GRAM. *Quis* PETRVM *hunc misit?* ETYM. *Petra Petri sede locata.* *(est.*
GRAM. VRBANVS *Summus* PRAESVL? ETYM. *is ista Petra*
GRAM. *Sed quod stemma Viro?* ETYM. *stirps illustrißima: Princeps.*
E CARAFARVM *sanguine progenitus.*
GRAM. *Quis titulus, vel auitus honos?* ETYM. *Antistes in Vrbem hanc,*
Et Præsul Summo à Præsule missus adest.

GRAM. *Euge igitur; tanto Heroi ſincharma Clientes*
Accinite, & lætum carmine χαῖρε date.

Dialogũ excepêre Clientes quatuor, ac dein ordine Artes alię primis ancillãtes; quas Rectus caſus, & Obliqui ſubſequebantur, & PETRI ALOYSII declinatum nomen litteris grandiuſculis in haſta ſinguli geſtitabant.

Cliens primus.

Salue, ſalue iterum, ſalue Illuſtriſsime PRINCEPS.

Cliens ſecundus.

Salue, ſalue iterum, ſalue ô Ampliſsime PRAESVL.

Cliens tertius.

Salue, ſalue iterum, ſalue ANTISTES *Venerande.*

Cliens quartus.

Salue, ſalue iterum, ſalue PETRE NVNCIE PETRI.

Cliens primus.

Illuſtriſsime Præſul, atque Princeps,
Tot hæc Grammatici cohors Lycæi
Impertit tibi læta fauſtitates;
Tot fert ac tribuit tibi ſalutes,
Quot ſunt nomina, quotq; in Vniuerſo
Regno Grammaticæ, vel Orbe verba.

Cliens ſecundus.

Non ego Mæonios gnarus reſonare Cothurnos,
Grammaticæ alumnus Paruulus;
Quos ergo fundam verſus tibi, maxime Præſul?
Quæ metra pangam & carmina?
Hoc ſcio, quod docuit me plurima Epiſtola Tullî:
Dico ſalutem plurimam.

Cliens tertius.

Quod nos Grammaticæ ſuos Clientes
In Tyrocinijs docet puſillos
Declinare, ſimulque coniugare;
Id vouet, petit, imprecatur, optat,

Illu-

Illustrißime Præsul, atque Princeps:
Declines mala semper, & pericla;
Declinent mala te, & pericla semper:
Et contrà bona coniuges, tibique
Coniungant bona se, atque faustitates.

Cliens quartus.

Pluralem numerum gnari, numerumq; tenemus,
Qui singularis dicitur.
Pluralem numerum tibi, Princeps Magne, dicamus,
Vouemus, offerimus, damus:
Non vnam, ast vno plures damus ore salutes,
Et faustitates plurimas.

PROSODIA.

Me quoque cura tui tenet, Illustrißime Princeps,
Quæ nuncupor PROSODIA:
Pars sum Grammaticæ Princeps, quæ tempora longa,
Breuiaq; dominio meo
Contineo; do longa tuæ, PETRE, *tempora vitæ:*
Seruans mihi breuia; sileo.

SYNTAXIS

SYNTAXIS *Græcâ, Constructio voce latinâ,*
A construendo dicta sum.
Sed quid Magne struam tibi Præsul PETRE ALOYSI?
Construo salutem plurimam,
Et precor, ingressus tibi quondam, aditusque struatur
Ad Cœlitum Palatia.

ORTHOGRAPHIA

Hùc ego Grammatici non vltima prodeo regni,
Inter Grammaticos ORTHOGRAPHIA *vocor.*
Hæ partes munusque meum sunt, tradere rectum,
Quo conscribantur nomina quæque, modum.
Omne hoc, quidquid id est etiam, Illustrißime Princeps,
Muneris, æternum trado, dicoque tibi.

Vt tua gemmatâ luce, auratisque figuris
In vita radient nomina scripta libro.

NOMINATIVVS

Viuat Illustrißimus Princeps PETRVS ALOYSIVS,
& felicißimè, quæ constituit, omnia exequatur.
Ita opto NOMINATIVVS.

GENITIVVS

Ter felix, & auspicatus sit aduentus
Reuerendißimi Præsulis PETRI ALOYSII.
Ita precor GENITIVVS.

DATIVVS

DEVS, *Diuique Superi, Optimo Antistiti*
PETRO ALOYSIO *benè, feliciter omnia euenire iubeăt, velint.*
Ita voueo DATIVVS.

ACCVSATIVVS

Diuus Petrus Apostolus Legatum suum Apostolicum
PETRVM ALOYSIVM *conseruet, & æternùm beet.*
Ita peto ACCVSATIVVS.

VOCATIVVS

Viue, viue hîc in terris feliciter, & beatè,
Amplißime Episcope, PETRE ALOYSI, *& in Cœlis æternū trium-*
Ita iubeo VOCATIVVS. *(pha.*

ABLATIVVS

A Nuncio Apostolico PETRO ALOYSIO,
D. Petrus Apostolorum Vertex, Cœlitesque
Omnes mala omnia auerruncent.
Ita oro ABLATIVVS.

Locum ad acclamationes suas adlegit Cygnea Poëtarum Natio iuxta limen ipsum Aulæ (quam nimirum frequentes terunt) & hîc lauro coronati hos versus, simul & solitariè intranti LEGATO cecinêre.

Qualis Eoo veniens ab Indo,
Cùm diem pulsis reuehit tenebris

Phæ-

Phœbus, & densas rutilante vultu
Discutit umbras.
Talis illustri comitante plausu
Buchonum notam veniens ad Vrbem,
Dißitis fulges procul hinc ab oris,
Magne CARAFA.

VIRGILIVS.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auenâ
Carmen, & agrestem meditatus arundine musam:
Te nunc Illustri Fuldam inuisente CARAFA,
Felicem nimium BERNARDO *Principe Fuldam,*
Maius opus moueo: sic turba Nouensilis vrget,
Sic vatum gens, Diuino gens Numine plena.

OMNES.

Viuat io! Illustris viuat, valeatq; CARAFA.

ENNIVS.

ENNIVS *ipse Pater Dijs hocce ratantibus optat.*

CATVLLVS.

Et Magnus quo sese effert Verona CATVLLVS.

TIBVLLVS.

Et tersus, facilis, placidusque, tenerque TIBVLLVS.

PROPERTIVS.

Facundusque Vmber, fecit quem Cynthia vatem.

HORATIVS.

Sublimiq; ferit qui vertice HORATIVS *astra.*

STATIVS.

Armisonusque, grauisque, & pleno STATIVS *Ore.*

LVCANVS.

Atque per Emathios qui cantat prœlia campos.

CLAVDIANVS.

Et Magnus Magni quondam Stiliconis amator.

OVIDIVS.

Atque Tomitanæ NASO *nouus incola terræ.*

OMNES.

Viuat io, Illustris viuat, valeatque CARAFA.

HOs inter plausus litterarum, militiæ, atque effusæ vndique Ciuitatis, Legatus à Principe deductus est in præcipua domûs conclauia; quæ nitida & congruæ altitudinis ac laxitatis, sic in se adytis plura collineant, vt in longam seriem pulchrè discedant: & hîc pariter commoda hospitij omnia vltrò se nobis obtulêre. Interim populi expectatio in Templo erat; ad quod festinus contulit se Abbas, vt Pontificum insignibus ornatus, nempe compluuiatâ veste prædiuite, gemmatis Infulis, & argenteo Lituo, cum Præpositis & agmine cætero Religiosorum, procederet obuius Legato. Qui postquam cum Familia tota vestes viatorias exuerat, adfuit in conferta Nobilium & Militum turma, tenui crispo lino candidoque linteatus, & togam supernè circa humeros purpuream, cætera violarem induens, in Area ipsa Templi exteriori, osculatus est religiosissimè simulachrum Christi Domini de Cruce pendentis, quod Abbas, obsequij causâ positâ Cydari ac Pedo, ei detulerat. Exin exceptus vmbellâ, quam seni Ciues primarij efferebant, in Templi limine ab Abbate aspergillum madidum lustrali aquâ suscipiens, eo circumstantes irrorauit. Pòst aliquantulùm compositis manibus stetit, donec ei Abbas thuribulo Fumulum odoris pij adoleret: & tum militum explosiones foris, intùs voces modulatè canentium cum organo, fidibus, & multiplici cheli strepitum dulcem temperatissimè miscuerunt; dum Legatus ad Altare Summum, procumbenti vtrimque populo benedicens, iret. Vbi verò dictæ solênes preces atque hymni fuerunt, Legatus Deo perlitauit inter harmonicos eos modos: quibus insuper numerosè consonabat Sydus pensile radijs prægrandibus, quasi pyramidibus, sese vastum in gyrum explicans atque euoluens; quod libratum è summo medij Templi tholo, axe funibus innexo, versatur; & interim, vti est nolulis, tintinnabulisque radiatim intextum, gyratione lentâ perpetuos, & cum Basilicæ totius læta vocum

ac

ac fidium concordia commodiſsimos reciprocat ſonos. Itaque canorum hoc Aſtrum, & nunquam abſonum aut diſcors, nobis ſydereos concentus Orbium maximorum (ſi Cęlum muſicum eſt) iucundiſsimè referebat. Moles tota nunc ahenea vel ferrea, ſuam priſcam originem auream, quam Antiqui fuiſſe perhibent, in metallum obſcurius, vnà cum duri iam ſæculi moribus, immutauit. Legatus poſtquam Aris operatus fuerat, in ſecreto conſeſſu, in quem Abbas, Præpoſiti & Religioſi coeunt, vt in commune deliberent, recitari à Scriba Publico litteras Apoſtolicas ad ſe Viſitationis causâ ab VRBANO Pontifice datas mãdauit; eoque demiſſo clauſi hæſerunt diutulè, & Legatum deinde percrebuit ad eos in hæc fermè verba Parænesim habuiſſe.

Vniuerſa, quæ ſub ſole ſunt, damnoſa imminuit dies: & deteri tineâ temporis, quicquid floridum, quicquid amœnum eſt, ipſæ in quibus verſamur, anni viciſsitudines manifeſtant. Qui Vere exoritur pulcherrimus quaſi mundi conceptus, is magna ex parte in Aeſtate inareſcit; & quæ in Autumno apparet naturæ parturientis læta fœcunditas, ſterileſcit in Hyeme. Homo item, cuius pars altera potior & praſtantior, tota immortalis eſt, properè à pubertate in reliquas ætates, & denique præceps, veluti proſcribendus à vita, agitur in ſenium: quod limen mortis eſt, & veſtibulum penè dixerim, ſepulchri. Hinc ille magnus patiendi Magiſter Sanctus Iob in hoc humanarum miſeriarum compẽdium collocauit: nam inquiens, Homo natus de muliere repletur multis miſerijs; *ſubdit ſtatim:* Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet: *adeò cuncta in deterius perpetuò dilabuntur. Sed vtinam non Virtus quoque initijs pulchra, initijs vegeta, ſpatiò marceſceret: Vtinam non aliquo modo hæc tinea temporis animum quoque tangeret; & cùm nocere ſtirpi nequeat, quæ naturâ ſuâ eſt immortalis, non abederet fructum eius; imò ſæpe florem eius: nam Virtus Ver, & Autumnum habet, in quo florida, in quo frugifera eſt. In hac tamen iactura poſtre-*

postrema, solatium aliquod est ipsa stirpis felicitas, quæ sola non læditur, & quæ germinare virtutis nouâ vbertate rursus potest: animum quippe, vt dixi, tinea illa non perimit, eaque hominis pars cariem non sentit, æuo non comminuitur, dentes temporis, edaces rerum aliarum omnium, sola non patitur; quia est immortalis, quia est mansura cum Deo in perpetuas æternitates. *An non illud efficitur, cùm animi cultura denuo instituitur, cùm innouantur mores, atque, vt vno verbo dicam, reformantur? Nihil est in huius vocis auditione quod metuant; nisi si qui metuant formam, si qui pulchritudinem venustatemque oderint; ament verò informem speciem, obliti penitus quid terrori esse debeat, quid amori. Quando æuo deformantur Aedes, pulchrum ducimus illas instaurare: Corpore quando ægri sumus, cupimus illicò sanari; displicet in ore macies, in viribus delassatio, in gustu amarities, quâ veluti inficitur cibi voluptas; denique in sanguine lues, qui intùs vitæ succus est, & foris vitæ color: hæc porrò corporis tanta deformitas datis medicaminibus confestim tollitur, & curatur. At si qua animi sit intemperies, si qua ægritudo virtuti adimens formam & pulchritudinem, iucundum fortasse non erit eam sanari? censebitur durum, asperum reformari? Non ego id in animum meum induxerim de statu, & de conditione vestrâ. Nimis altam ægritudinem & nimis sopitum morbum indicaret, & quasi veterno vos indormire malis vestris ostenderet: Medici verò manum, vt in difficili curatione fit, necessariò asperaret; ex quo & dolores coorirentur, deberentque qui ita ægrescerent, à Medico inuiti quoque, ac dira interminantes curari. Non in hoc statu sunt, si qui ex hac nobili Congregatione Fuldensi oblanguescunt: sensus adhuc integros habent, habent vigilem animum, quo morbum agnoscere, eiusque amare, optare curationem possunt. Id in prima inspectione satis deprehendo, cùm viros inuenio conscios adhuc suæ nobilitatis, suæ Religiosæ Professionis, sui Ordinis, suæ existimationis atque virtutis: & possum ideò de successu benè ominari; possum prædicere etiam ego, sicut olim Magnus ille corporum, atque animarum Medicus Christus Dominus,*
dum

dum sanaret omnes: Infirmitas hæc non est ad mortem. *Sensus excitatos habetis, ita sanè; quia memores estis vestræ gloriæ, hæretq; animis recordatio antiquæ Fuldensium Religiosorum sanctitatis. Imò valetis memoriâ diuturniori, & potestis substituere animo exortum Religionis vestræ, quando à Sanctissimo Patriarcha Benedicto in benedictionibus dulcedinis parturiebatur.* Respicite ad Petram, vnde excisi estis, *ad vestrum Abraham, cui non minùs, quàm alteri credentium Parenti dixit Deus:* Suspice Cælum, & numera stellas si potes; sic erit semen tuum. *Fuistis sydera, nec numero dumtaxat sed luce virtutis, sed conditione naturæ cælestis. Si qui ab eo splendore atque præstantiâ fortè desciuerint, ita vt stellæ cadentes aut sint, aut videantur; asperumne sit in pristinam asseri lucem, reponi sedibus cælestibus, impediri ruinã, quæ de cælo fit ad ima Terrarum, vbi sordescunt fœdissimèque omnia polluuntur? Hoc demum est Religiosos vestræ Sodalitatis reformari. Est dari eos rursus in splendorem, est eos rursus accendi, rursus illuminari: & sanè accensis charitas augebitur, & fama; alijs qui eos suspicient, si probi sint & Catholici, suadebit facilè exemplum egregium, vt videntes lucere vestram lucem coram hominibus,* glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est: *si contrà improbi sint & Fidei veræ desertores, spectaculo erit vestra lux, & eorum perstringens oculos impediet, ne vobis obtendere proprias tenebras audeant; quibus circumfusi (quippe filij tenebrarum) sæpe vobis mores eos exprobrãrunt, quos in se fouent, & in alijs nihilominus detestantur.* Estis in medio Nationis prauæ, *quæ vtique in Religiosos viros sua inducere vitia conata est; & interdum induxit, nec alium in finem, quàm vt quos in prauam imitationem illexerat, ludibrijs eos traduceret, exponeretq; dedecori. Est igitur cur ex arce Religionis pugnetis aduersùs hos filios tenebrarum filij lucis, & cur ostendatis quæcumque syderum aut naturam, aut similitudinem habent, hac interiectis vaporibus terrenarum cogitationum obnubi posse, obscurari non posse. Ecquid autem Reformatio agit? nonne istas nubes dissipat, quæ ex terræ limo exhalantur,*

 effi-

efficitque, vt vanescat quidquid moliuntur Aëreæ potestates, & vt postquam vndique conserenauerit, appareant sicuti priùs Religionis vestræ sydera, vestrum Cæli lucidum genus, vestri origo splendoris, vestra gloria, quæ mundum vniuersum interuallis tot iam sæculorum illustrauit? Stellæ perpetuis motibus aguntur, & fixæ in Cælo hærent tamen: hic in cunctis rebus vester situs esse debet. Quocumq; feruntur, alienæ incumbunt vtilitati, sibi nihil quærunt, nihil acquirunt: quia hoc cæleste, hoc diuinum est; nempe aliorum solummodo circumagi bono. Excidat è vestris animis cupiditas, facessat propriæ amor vtilitatis, & tum in vestro cælo hærebitis procul à terræ sordibus, procul à tenebris: alijs prodesse poteritis, nihil habebitis, omnia possidebitis; quasi sydera, quæ in Cælo disposita ex Terra nihil habent, & tamen quidquid est in Terra inuoluunt, & quodammodo possident omnia. Sed non ita vos à syderibus potestis vestram discere paupertatem, vt non ab eis simul puritatem, simul obedientiam discere, ordinemq; pulcherrimum debeatis: quæ duo ecquis in syderibus non videat, dum alienâ vi cientur, obtinentque perpetuò locum & stationem in ortu atque occasu lucis suæ; dum luce candidâ virgineâque nitent? sed ne multis; ad hæc exemplaria prouocare, hoc demum est vos in præsentia reformare.

Sanctissimus D. N. VRBANVS VIII. *Pontifex Max. Ecclesiam Fuldensem, Pater omnium Ecclesiarum, singulari dilectione prosequitur, & meritò; quia didicit à Prædecessoribus suis eam esse filiam, cui debeatur nescio quæ prærogatiua charitatis. Nam exempta semper ab omni ordinaria potestate soli Supremo Patri subesse, à solis eius manibus speciosa filia ornari solita est. Vnde maculas, si quæ vultum eius deprauârint, abstergere; si quæ vitia deformârint, reformare, vt tota pulchra euaderet, vt non haberet maculam neque rugam, studuit ille perpetuò. Itaque idem Summus Pontifex* VRBANVS *inductus desiderio, vt filia dilectissima Ecclesia Fuldensis,* specie suâ, & pulchritudinè suâ intendat prosperè, procedat & regnet, *quia Nuncij Apostolici sunt eius ora, sunt eius manus, per quæ absens loquitur, absens agit; iniunxit mihi*

hi auctoritate Pontificiâ, vt intermissis negotijs quibuscumque, Fuldam me conferrem, inchoata eius reformationi manum Apostolicam admoturus; & vt collabentes vultus filiæ charissimæ pristino lumini, & pristino colori, quem in iuuenta sub Parente Sanctissimo, & sub Tutoribus primis habuit, restituerem; repurgarem ab omni deprauatione, atque, vno verbo, reformarem. Quod verbum grati vsûs esse dixi: quia quis à Parentis manu comi, ornarique se non magnoperè lætetur? Operis suauitatem, ex hoc vos capite, vobis debetis polliceri; ego mihi eiusdem operis felicitatem polliceor ex Idæa eius proposita, de qua vnicuique etiamnum posset dici: Respice, & fac secundùm exemplar. *Habetis præ oculis vestri Reuerendissimi Antistitis, & Illustrissimi Principis mores ad omnem normam religiosæ vitæ conformatos; à vobis nihil virtutis requirit, in quo non ipse prior emineat: quasi delectetur etiam ab hac parte vester esse Pater, esse Princeps. Plures perfectionis in eo lineas hîc ego distinguerem, nisi modestiam eius dum laudo, ei à modestiæ colore metuerem. Hortor saltem te, Reuerendissime Præsul, vt pergas hoc modo tuos ad pietatem, ad religionem allicere; vt formando prius mores in te, ad eos deinde exigas vitam subditorum. Pudebit enim sub capite decenter pulchro, membra licenter deformia esse: dicam & illud;* pudebit sub capite spinoso, membra esse delicata. *Vos verò, vos imitatores eius estote, sicut & ipse est Sancti Benedicti* viri gloriosi, & Parentis vestri in generatione sua.

Te iam ex hoc loco compello, Sanctissime Patriarcha: respice de Cælo filios tuos Fuldenses Religiosos, hæredes tuos, posteros tuos. Cœnobia & Ecclesias tuas vigilum Bellatorum stationes, & militiam Cæli esse voluisti; exulet inde somni otijque torpor: domicilia virtutum in eis constituisti; proscribantur vitia: Castra pœnitentiæ in eis erexisti; euertatur luxus & viuendi suauitas. Palæstram effecisti monastici contemptûs; probibeatur licentia, & sui superbiens æstimatio. Imprimis verò Solitudini, quæ Monachi paradisus est, Tu eos restitue, Tu qui expertus es eius delicias: hanc vnam venari à Te Religiosi in septis, in syluis discant, & vt præ illa cuncta

 pos-

poßint aſpernari, effice Tu rurſus in filijs tuis. Denique meo ore, ſed tuo Spiritu iam perora, & his qui me audiunt perſuade; Monaſterij cellam iam quidem lateritium eſſe Cælum, ſed quod debet in Cælum æthereum permutari, quando eius habitatoribus teſſeram tuam referentibus, hoc eſt vitæ formam, quæ debet iam in eis reſtitui, dicetur; Venite Benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi.

Hæc dixit Legatus; & Viri grauitas, ſicut & muneris dignitas, cum facultate, quâ ſemper valuit, demulcendi, flectendique animos orationis volubili, pleno, & grato quodam ſono defixos omnes in admirationem cum ſilentio reliquit, quod eloquentis elogij ſæpe vim habet. Decanus enim Maior conſultò in diem alterum reiecit ex omnium ſententia reſpondere; quod fecit officioſiſsimè, gratum aduentum differens, grata monita ſalutaria, & imprimis gratam erga Fuldenſes Pontificiam charitatem. Quæ item Legatus, peræquè facundus ex tempore atque à curâ, excepit oratione conſentaneâ; & ea res admirationem auxit. Plurimi deinde inſtare per ſe, & per interpretes rogare, vt quæ dixerat Legatus exſcribere, & in hunc modum faciliùs retinere ſemel & ſemper animis liceret. Quod quia non impetrârunt; ego eorum communi bono ac voto ſubſeruire iam videar, qui parænetico huic ſermoni publicam dedo lucem: nec Auctori à modeſtiæ colore, qui purpureus eſt, multum eſt quod verear; quia Hero ſuo non ſolent Aulici à Purpura vereri. Circumfuſus Militibus, qui nouâ exploſione plauſum dedêre, in Arcem reuertit Legatus: in qua ei Princeps, Præpoſiti & alij primarij communi epulo aſſedêre, & quidem hi ſemper aperto capite venerationis causâ: quod Princeps ipſe conatus eſt ſæpe; tanta inſederat ei Sanctæ Sedis veneratio. Poſtero die in Templum retulit ſe Viſitationem inchoaturus: & hîc venerabilis Euchariſtiæ ſedem atque ornatum idoneum primò; dein Principem Aram, ac minores

alias;

alias; Sanctorum Reliquias; Vestiarium; vasa omnia sacri vsûs ordine procurare. Domi exinde capita rerum disposuit, de quibus vnumquemque Religiosorum, orsus à Monachis priuatis, interrogaret; quod præstitit antemeridianis, & pomeridianis horis perpetuò, donec audiuerit omnes, vt in rem Abbatiæ decerneret sapientiùs. Itaque negotiosis diebus mane à septima ad vndecimam, post quam celebrabat; rursus hoc agebat à tertia ad septimam horam post prandij refectionem. Pro qua, excepto primo aduentûs die, sterni sibi mensam in conclaui suo curauit; & oportuit vt Abbas Principem se esse obliuisceretur: neque enim tres missus, vt ille mandauerat, eosque opiparè varios submitti, Legatus passus est; sed patinas pauculas obsoniorum afferri, & statim mensam pomorum, aut bellaria; quòd existimaret, exemplum hominis frugi à se peti primùm debere. Festis diebus aliquando in Aede summâ Sancti Saluatoris: aliquando in Templo Societatis IESV, manè Ordines Ecclesiæ, quà Minores, quà Sacros conferre; à meridie Chrismate pio alios inungere, donec instarent primæ tenebræ: & tunc nihilominus ad pagos suos Agmina plura cum vexillis, ita vt aduenerant, remigrauère, quoniam dies operi defuisset. Porrò in tam conferta multitudine, pauci ætatis primæ; plerique adulti, plurimi prouecti ac senes ex vtroque sexu erant. Non hîc omittam, Patres Societatis IESV continuâsse in Aedibus eos, quos in triuijs occœperant plausus dare aduentui lætissimo Legati. Quin imò, si auderem, haud equidem Lectores fraudarem editione eorum, quæ stylo pereleganti dixère; siue cùm in Collegio ipso, siue cùm in Seminario Pontificio GREGORII Tertijdecimi triclinium præsentiâ suâ, vnà cum Fuldensi Principe cohonestauit. Sed hæc secreti sui retinentissima tantùm veniam faciunt, vt euulgem ea, quæ Nobiles Iuuenes eorum discipuli parauerant, & dixerant palam ex ingenuo obsequio potiùs, quàm è subacto & peni-

tus

tus exculto ingenio, cui vtiq; formando in gymnasijs allaborant. Domi Patres oratoriè & poeticè multa, gratulationesq; varias, linguis etiam peregrinis diserti, habuere; & Alumni Pontificij, Conuictoresq; in Area Seminarij, postquã consederant Legatus & Princeps sub vmbella, quam Pueri Nobiles quatuor sustentabant, Dramma recitarunt, quod PETRVS ALOYSIVS inscribebatur, & S. Petri patrociniũ erga B. ALOYSIVM GONZAGAM referens, cum Legati nomine pulchrè ludebat. Longum esset fabulam hic totam inserere; indicabo tamen quod ipsi tum initio communicarunt argumentum Actuum, scenarumque singularum.

ACTVS I.

SCENA I.

DIVVS PETRVS *suum in Aloysium, Aloysiique vicißim in se commemorat obsequia. Causas clientelæ istius affert, suaq; cum in vita, tum post vitam beneficia Aloysio conferenda prædicit.*

SCENA II.

Marchio Ferdinandus honores à Rege Catholico impertitos sibi gratulatur: maxime vero lætatur ob Filium primogenitum paruulum Aloysium. Mandatque aulæ suæ Magistro, vt hic in lustratione exercitus sibi aßistat, quò à teneris militiæ rudimenta condiscat.

SCENA III.

Præco Milites conuocat.

SCENA IV.

Marchio Milites suos ad fortudinem, fidemq; hortatur; illi vna voce fidem, vitam, sanguinem offerunt. Paruo deinde Aloysio militiam laudat, eumque leui armatura præcedere vult exercitum.

SCENA V.

S. PETRVS *diuina consilia ab humanis dißidere longißimè ostendens, alteri à se instituta militiæ per D. Ignatium, suæque Sedi. & Ecclesiæ deuota destinat Aloysium.*

SCE-

SCENA VI.

Aloysius legens DD. Petri & Pauli epistolas incidit in illa Ephes. vi. Induite vos armaturam Dei. *Anhelat ad hæc diuina arma. Prodeunt cum Christo paruulo Vexillifero Angeli duo, alter præco, alter armiger, armatur Panoplia Apostolica.*

SCENA VII.

Cubicularius Aloysij, & Aulicus virtutes præcipuas armaturæ designatas enarrant, atque commendant.

SCENA VIII.

D. PETRVS *tubum opticum Aloysio philosophiæ studioso tradit (significantur ascetica exercitationes, quibus tunc temporis operam dabat) contemplatur per hunc nouissima, occurrente vario mortis iudicijq; extremi schemate.*

ACTVS II.

SCENA I.

CVpido, & Amor diuinus de Aloysij Virginitate certant. Explosus Cupido fugit. Virginitatem suam Cælesti amori vouet. Adsunt Angeli, & perpetuæ castimoniæ cingulo cingunt.

SCENA II.

Exortam inter Aulicorum par contentionem, & duellum Aloysius oratione & auctoritate dirimit.

SCENA III.

D. PETRVS *deliberanti de vitæ statu Aloysio præsto est. Exhibetur Regnum mundi & Christi. Proculcato mundo, Deo se tradit, docente S. Petro & oratione, & exemplo suo.*

SCENA IV.

Magister aulæ Ephebos duos, cæteramque aulam ad percipienda S. Eucharistiæ mysteria nomine, & verbis Aloysij hortatur; quorum alter Principis sui pietatem, aulamq; sanctissimam commendat; alter auersatur & omnia alia laudat.

SCENA V.

Aloysius perceptâ in Assumptione Deiparæ Virginis Sacrâ Synaxi, lumen ad clarius cognoscendam Dei voluntatem, vocationemq; efflagitat, vocem audit ad alloquendũ IESVM inuitantem, gratulatur sibi, exhibet se Christus formâ pueri cum odoramentis, & currentem in odorem vnguentorum suorum Aloysium post se trahit.

ACTVS III.

SCENA I.

MArchio, intellecto Filij de ineunda religione proposito, angitur; Aloysius copiam eius ineundæ flagitat. Marchio asperè multa & iracundè tum contra Filium, tum contra Religionem loquitur. Placatior deinde cum Fratre Rudolpho ad visendos prius Italiæ Principes ac Duces cognatos ablegat.

SCENA II.

Venatio excipiendis Principibus instituitur.

SCENA III.

Hercules Tanus Princeps varia ad excipiendos magnificè Marchiones cognatos mandat. Nunciatur aduentus.

SCENA IV.

Aduentant cum comitatu Marchiones; post mutuas salutationes in Aulam inducuntur.

SCENA V.

Symphoniarcha de tarditate musicorum queritur; post musicam Hercules Princeps Aloysium, qui prouocatus ad choreas ex aula cesserat, inquirit vndiq;. Inuenit tandem in oratione prostratum, virtutem demiratur.

SCENA VI.

Ferdinandus dolens Filij in proposito constantiam, adornare constituit, qui eum à sententia deturbent.

SCENA VII.

Dissuadetur Religio Aloysio & rationibus, & calumnijs; sed irrito euentu.

SCE-

SCENA VIII.

Marchio grauißimè dolens Filium vberrimis perfusum lacrymis, ac prostratum humi in oratione, flagellisq́; in se animaduertentem offendit, & ad se accersit.

SCENA IX.

Facit voti compotem Filium Aloysium Marchio. Ille alacer, & latus vale dicit Parenti, Aulicis, subditis non sine acerbo omnium dolore; Romam deductus à S. Petro excipitur.

Interludia fuêre pyrrhicha, quæ miſcellaneo motu ita regebatur, vt nobiles Pueri litteram vnam prægrandem in haſta ferētes, ſemel dum ſtarent nomen ipſum Legati componerent; & iterum (poſt confuſa omnia vehementiore tripudio) dum conſiſterent, redderent ſemper ingenioſum aliquod Anagramma; cuiuſmodi vnum occurrit iam, dum animo hæc repeto;

PETRVS ALOYSIVS;

TV SALVS PIO ERIS.

quæ poſtmodum verſu, cantu, & ſaltu gratulabundi ornabant. Dramatis finem coronauit explicata eius ad Legati nomen alluſio; in qua ita S. Petrus ad B. Aloyſium;

En ſeptem gemina ſeptena cacumina Roma,
Vrbs Orbis Princeps, Imperijque caput.
Ingredere, ô dilecte Cliens; tibi limina noſtra
Ardua pando Vrbis PETRVS ALOYSIO.
Hic te per varios caſus, per mille pericla
Deductum excipio PETRVS ALOYSIVM.
Hic te, dum viues, ſolita pietate Clientem
Conſeruabo meum PETRVS ALOYSIVM.
Depletâq́; colo Lacheſis reſerabo Beato
Templa beata Poli PETRVS ALOYSIO.
Amborum hic cineres noſtros Vrbs conteget vna,
Vrbe ſepulti vnâ PETRVS ALOYSIVS.

Vna ambo Cæli superis regnabimus oris,
Fortunati ambo PETRVS ALOYSIVS.
Denique nostra olim duo nomina conflabuntur
Principis in nomen PETRVS ALOYSIVS.

Atque hæc Adolescentes exploratæ, vt in Germania fit, nobilitatis aptè admodum in scena luserunt.

Verùm vt ad institutam Visitationem reuertar; in eam constanti labore incumbebat Legatus, ita vt ne quidem animi causâ, vti sub vesperam fit, ad horarium saltem aliquod spatium egrederetur circa obiacentes Vrbi amœnas oras: nisi cum necessarius ei excursus fuit ad propinquos colles, è quorum leniter accliuibus iugis, instar Castri, prominent Abbatiæ Fuldensis antiquæ Præpositur æ; nam & eas quoque inspicere oportebat. Interim Asseclæ Legati, quibus tantum supererat otij, quantum ei negotij tunc erat, liberiùs agri Fuldensis lustrare amœnitates; adire colles & vicinos saltus; prata gramine mollissimo strata pererrare; Fuldam Amnem inuisere; & imprimis, vt tempus magis peritè fallerent, vestigare originem priscam loci, qui eos aspectu suo iucundo tantopere videretur eblandiri. De hac ego interseram, quæ didici; si priùs habuero in præcipuis, quæ ad Visitationis progressus faciũt. Hebdomades quatuor, accersitis ordine Religiosis, Præpositis, atq; ipsimet Abbati cõmodauerat aures Legatus, vt posset explorato statu Fuldẽsi sancire opportunas leges, & priscos mores asserere. Ex eorũ itaque examine vario, statutis Capituli, & legibus S. Benedicti eruit demùm decreta; quæ optimũ factu ratus est, priusquam promulgarentur, cuique Religiosorum ordini communicare; vt hoc pacto eorum odorari sensus, & peruincere, si quæ oborirentur, difficultates fortiùs, feliciùsque posset.

Ijs priuatim cognitis, Abbas (quæ semper fuit in eo consuetudo factis modestiæ famam exaggerandi) in tranquillo erat

erat; Monachi etiam nihil ferè non probabant. Cum Decanus maior, & Præpositi misére Ministros Ordinis laicos tres, qui Legato renunciarent, plurima in decretis esse, quæ parum instituto ipsorum commoda integro Capituli consensu laudari non poterant; imò quia statum præsentem palàm euerterent, aut induci debebant, aut singulis fieri gratia votorum ab Apostolicâ Sede, & tribui pensionibus annuis certa pecuniæ summa dignitati vniuscuiusque sustinendæ. Legatus ad hæc mirari primò, à Decano & Præpositis ea responderi, à quibus expectasset potiùs gratiarum actiones; quandoquidem cum eis indulgenter egisse sibi videbatur, vt qui ad normam antiquam penitùs exigere mores eorum noluerat; contentus vtique, si formaret optimam posteritatem. Ceterùm singularia indicari mandat, quæ in decretis non laudantur; & spondet fore, vt si eorùm cogitata, consiliaque ratione apertâ non infringeret, voti compotes à se dimitteret. Redeunt altero die, & spatium mensium trium flagitant, vt meditationi dare Præpositi possint decreta singula, & deliberare communiter, quæ in rem Abbatiæ, aut secus facere videantur. Tunc Legatus, satis intelligens per lenta & obscura quæri modos fallendi spes suas, & ad frustrandum varias longasque misceri ambages; bidui periodum, nec plus, relinquit eis, vt si quæ clarè (quod aiebant) damnosa ipsorum conditioni fuerint, coram deducant in consessu, ad quem illos opperiebatur; alioqui decreta se indubiè promulgaturum, & vsurum personâ Legati; neglectâ eâ, in quam sponte descenderat, amicâ legum ferendarum communicatione. Præpositi nec illud intentatum reliquêre, vt Abbatis vocem flagitarent; si quo modo ipse Legato auctor esse aut posset, aut vellet, vt sanctiones illas supprimeret. Qui tamen ad ista; ego, inquit, quæ de me Legatus decernet, admittam obsequio magno; par obsequium in vobis desidero. Ergò ipsi, nullâ iam spe, Lega-

 to

to adfuere omnes, & quædam capita rerum præcipua, conferendo, diſputandoq́ue mutuis agitauere ſermonibus; Decano, qui dignitate, ingenioq́ue ceteris longè præſtat, cauſæ patrocinante. Sed Legatus in duobus aut tribus conſeſsibus ratione, auctoritate, atque oris diſerti gratijs rem eo deduxit, vt cum circa pauca ſingulatim eis annueret, præcipua tueretur; & hæc eorum etiam affirmari impetrauit aſſenſu. Vna iam ſupererat cura, vt priuſquam decretorum tabulæ publicè proponerentur, aliquis Diuini Spiritûs voce ſingulorum corda præpararet, aureſq́ue diſponeret. Aduenerat cum Legato Iacobus Marchant Sacerdos editis voluminibus clarus, & Eccleſiaſtis munere diù functus cum laude Oratoris loquentis ad cor, & afferentis pondera non humanæ, ſed cæleſtis eloquentiæ. Is itaque, pridie quam fieret decretorum promulgatio, in Templo ipſo pro concione, coram Legato, Antiſtite, Præpoſitis, & cœtu reliquo Religioſorum in hæc verba dixit.

Obſecro vos, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis. *Ad Epheſ. 4.*

IN hoc munere dicendi, quod mihi eſt iniunctum ab Illuſtriſsimo Legato Apoſtolico, qui Religioſum & nobilem hunc conſeſſum ſuâ conuocauit auctoritate, & ſuâ iam illuſtrat præſentiâ; de illis potiſsimum mihi diſſerendum eſſe video, quæ ſpectant ad inclytæ domûs noſtræ antiquam gloriam; vt ipſa, quæ infelicium temporum decliui greſſu ad occaſum vergere videtur, nouo tandem feliciter poſsit oriente renaſci, & ſicut de Phœnice intermoriente dicitur, etiam è ſuis cineribus ſuſcitari. Proponam vobis propterea non ſubtilia, ſed vtilia; non diſerta & erudita, ſed fortia & efficacia; quæ non aures mulceant, & vngant; ſed mentes excitent, & pungant, munerisq́ue ſui commonefaciant. Et quidem non mea erunt, quæ proferam; ſed Spiritus S. verba, quia ex Scripturis ſacris ea depromam,

mam, vt sint efficaciora. Optarimque hodie, vt Dominus exacuat & dirigat linguam meam, quasi calamum Scribæ velociter ſcribentis, *vt in tabulis cordis veſtri dignum aliquid valeat exarare. Optarim*, vt ponat os meum, quaſi gladium acutum, & ſagittam electam, *cordis intima penetrantem*: Sagittam ſalutis, *quæ vulnerando ſanet, quæ vlcus pungẽdo virus expungat*: Gladium viuum & efficacem, vſq; ad diuiſionem animæ pertingentem, *vt amputet omne amaritudinis germen; vt demetat omnẽ altitudinem extollentem ſe contra Deum. Exordior igitur, & Apoſtoli verbis vos alloquor: ſed prius rogo, vt aurem mentemq; erigatis.* *Iſa. 49.* *Heb. 4.*

Obſecro vos ego vinctus in Domino; vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cũ omni humilitate & manſuetudine, cũ patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritûs, in vinculo pacis. Vnũ corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. *Eph. 4.*

Præclara ſunt hæc, & ſalubria Apoſtoli monita, & ſeriâ ſunt conſideratione expendenda. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus; *hi ſunt igniti eloquij carbones ardentes, quos congerit ſuper caput veſtrum, ad cor quoque inflammandum. Hæ ſunt* Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs, *quibus etiam cor durum transfigi poteſt. Expendite mecum ſingula.* *1. Tim. 1.* *Pſal. 119*

Obſecro vos ego vinctus in Domino. *Non carent pondere verba iſta; quaſi dicat; Obteſtor, & obſecro vos per ipſum Dominum, ſalutis veſtræ auctorem; per vincula, quæ pro* CHRISTO IESV *eiuſque Fide patior*; per catenam, quâ ob ſpem Iſrael ſum circumdatus; *per ſacratos compedes Charitatis, quibus Domino æternum deuincior, voſque illi identidem deuincire peropto. Obſecro, vt ambuletis non quomodolibet, non per quamlibet viam, non quouis erroneo greſſu*; eſt enim via, quæ videtur homini recta, ſed nouiſsima eius ducunt ad mortem: *ſed vt ambuletis dignè vocatione veſtra, figentes veſtigium per ſecuram ſalutis, & æternitatis ſemitam; conſiderantes circumſpectè greſſus veſtros, quia latet tortuoſus* Coluber in viâ, Ceraſtes in ſemitâ mordens vngu- *Act. 28.* *Prou. 14.* *Gen. 49.*

las equi, vt cadat ascensor eius retrò. *Obsecro, vt ambuletis non secundùm carnem, sed secundùm spiritum* : si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. *Obsecro iterum, vt ambuletis cum omni humilitate, solliciti seruare vnitatem spiritûs in vinculo pacis. Si qui inter vos sunt nobiles, non despiciant ignobiles: si qui eminentes & superiores, non despiciant inferiores, quia membra estis eiusdem corporis* : vnum corpus, vnus spiritus, in vna spe vocationis vestræ, *in eadem professione, sub eadem regula, eodem Duce, sub eodem vexillo militantes, ad idem brauium supernæ vocationis destinati. Hæc est mens Apostoli, quam pleniùs ego iam explanabo. Inprimis dum vnumquemque hortatur Apostolus, vt velit dignè vocatione sua ambulare, satis insinuat in Ecclesia Dei diuersas reperiri vocationes, diuersos status, ordines, gradus : & horum vnicuique certa seriè specialem obligationem insitam esse. Verùm sicut est diuersitas vocationum, sic est & diuersitas gratiarum: & sicut multiformis Sapientia Dei elucet in diuersis statibus, ac institutis coordinãdis; ita & multiformis gratia eius elucet in eo, quod copiosa subministretur vnicuique gratia, vt possit suæ satisfacere vocationi & annexæ obligationi. Attamen quia aliqui huic gratiæ non cooperantur, arbitrij sui natiua abutentes libertate, deseruntur à Deo: & cum possent in statu vocationis sanctæ promicare velut sidera præfulgida, permittunt se à cauda Draconis (de qua dicitur in Apocalypsi, quod tertiam partem stellarum spiris suis inuoluens è cælo detraxerit) in vitiorum præcipitia pertrahi, & in abyssum æternamq; perniciem deuolui. Examinet igitur vnusquisque, an dignè ambulet sua vocatione, an non desit ipse gratiæ Dei, sicq; mereatur ab eâ deseri. Nemo nimiùm sibi confidat, nimiùm præsumat; quia nullus est status adeò sacer, nulla vocatio adeò sancta, in qua non aliqui pereant culpa sua; quia dum vocat Oriens, ipsi conuersi retrorsum attendunt ad Occidentem. Huius rei certius testimonium depromere possumus ex sacris litteris; volens etenim Dominus ostendere, quomodo ex omni statu aliqui deserentes Deum, de-*

Rom. 8.

ferantur ab illo, sic habet: erunt duo in agro, vnus assumetur, alter relinquetur: erunt duæ molentes in molâ, vna assumetur, altera relinquetur: erunt duo in lecto, vnus assumetur, alter relinquetur. *Hunc locum interpretantes Sancti Patres, inter quos D. Augustinus, dicunt hic designari tres status; Sæculares in coniugio; Sacerdotes in clero; Religiosos in claustro. Etenim qui in coniugio agunt, rectè dicuntur molentes in molâ: quia per diuersas curas & sollicitudines molam trahunt in circuitu, de sollicitudine in sollicitudinem pergunt, instabiles velut in versatili rota, aut in cœci Sampsonis mola. Quia tamen horum aliqui, etiam inter sollicitudines, Christiana satisfaciunt vocationi, assumuntur à Deo: alij quia nullam salutis curam gerunt, relinquuntur ab illo. Per duos verò laborantes in agro, designantur Ecclesiæ Ministri & Rectores. His commissa est vinea, agerq; Domini, & quia eorum quidam strenuè in illo laborant, arando, occando, serendo, sarriendo, metendo, tanquam serui fideles intrant in gaudium Domini; & ab illo assumuntur. Alij quia desidiosam, immò & facinorosam vitam ducunt, & agrum sibi concreditum, propriaq; conscientiæ vineam negligunt, tanquam infidelitatis Rei, ergastulo concluduntur, & pœnis mancipantur æternis. Denique per duos in lecto; Religiosus status insinuatur; cum enim status ille locus quietis esse debeat, in quo anima posit quiescere, Deoq; ac sibi vacare, rectè lecti nomen ei congruit. Attamen quia & vocationem hanc sanctam quidam paruipendūt, & dum in mentis solitudine cum Deo agere deberent, in sæculi vitijs ac sollicitudine voluuntur & inuoluuntur; non mirum, si sæcularem potiùs, quàm religiosam vitam ducentes, si in diuitijs, & affinibus eis vitijs iacentes à Deo relinquantur.*

Matt. 24.

August in psal. 99.

Verùm enimuerò non exigui momenti res est, cum agitur de salute animæ, de dispendio gratiæ, de æternitatis discrimine: non oportet salutem adeò facili negotio exponere fortunæ, nō oportet æternitatis ita incertam aleam iactare. Ideò tàm seriò paternis visceribus monet, obsecrat, obtestatur Apostolus, vt dignè ambulemus nostra quisque vocatione, ne excidamus à salute. Licet verò hæc

monitio

monitio ad omnes dirigatur, maximè tamen ad Religiosos spectat, quorum est semper ambulare, semper progredi de perfectione in per-
Psal. 83. *fectionem*, de virtute in virtutẽ, donec videatur Deus Deorum in Sion.

Hugo in gen. *Disertè dixit Hugo Cardinalis, quod & huic nostro congruit proposito; Aliqui ambulant cum Domino, hi sunt Prælati & Rectores: Aliqui ambulant ante Dominum; hi sunt pij Concionatores, viam Domino præparantes: Aliqui ambulant post Dominum, animæ humiles & pœnitentes: Aliqui ambulant coram Domino, omnia opera sua ad eum referentes. Sed alij ambulant à Domino, propriam voluntatem sectantes. Alij contra Dominum, hi sunt obstinati & rebelles. Merito hic monemus vnumquemque cum Apostolo, vt consideret quomodo ambulet, vt saltem cum Domino ambulet, vel post Dominum, aut coram illo; nullo modo ab illo, vel contra illum: nec cuipiam contingat de illis esse, de quibus dicit Scriptura, quòd omne*
Iob. 11. & 15. *iugum excutientes*, tanquam pullos onagri se liberos natos putant, immò aduersùs Deum pingui ceruice armantur, & currunt erecto collo.

Optarim itaque vos seriò attendere ad vocationem vestram, quæ duplex est: vna omnibus Christianis communis, per quam omnes professi sumus, nos Satanæ operibus, & pompis eius renunciare. Et vtinam vel hanc vt decet consideraremus, memores vestis cãdidæ nobis in Baptismo ritu solemni tradita, in symbolum candoris & puritatis, qua induti sumus relictis peccati inuolucris exitialibus; quamq; illibatam ad extremũ vsque spiritum conseruare obstringimur: memores quoque Cerei illius ardentis in manus nostras delati, qui signum est conscientiæ illuminatæ, quam nos oportet ad tribunal Domini nostri IESV CHRISTI *deferre. Altera vocatio vestra, est religiosa primam perficiens, qua hanc priorem renunciationem per votum solemne confirmastis, coram Domino & Christo eius, totâq; Curiâ cœlesti. Per hanc de tenebris vos specialiter Deus*
Col. 1. *eduxit in lucem, vt filij lucis sitis*, & dignos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine. *Vocati igitur estis non ad vias sæculi*

sectandas,

sectandas, non ad libertatem animas captiuantem in lege peccati: sed ad disciplinam, castitatem, obedientiam, suaui Dei iugo animas subijcientem. Vocati estis non ad prodigendum patrimonium Crucifixi, sed ad seruiendum Deo viuenti. Vocatio vestra est, in castris IESV CHRISTI *Imperatoris summi, sub vexillo Ducis* BENEDICTI, *contra Satanam & Inferni aciem*, contra Principatus & Potestates, contra Rectores tenebrarum harum, *fortiter dimicare. Nos omnes Christi milites sumus, sed vos sub talis Ducis Labaro, in prima acie estis constituti: ideoq; oportet cæteros antecedere, & fortitudinis exemplo animare. Eia igitur ô Milites Christi, induite arma lucis, Galeam Spem salutis, Loricam iustitiæ & gratiæ, Baltheum castitatis, Scutum orationis, & quicquid aliud ad salutis panopliam spectare potest. Animant vos inclyti Duces vestri, Benedictus, Bonifacius, Sturmius, alijq; qui etiã hoc in loco præclarè & feliciter depugnarunt cum antiquo Serpente. Ipsi exemplo, & doctrina vobis praeunt, facem & lampada tradunt. Vobis adhuc nauigantibus, ipsi modo in portu, manum lucemq; tendunt, ne in syrtes, vada, vitiorumq; saxa incurratis, & neglecta vera disciplinæ via in naufragium æternum procurratis. Certè monent ipsi vos, vt vocationem vestram, professionem, regulam, votum, ponderetis: & id quidem non leuiter, non perfunctoriè à vobis fieri volunt, sed in veritatis bilance, in sanctuarij pondere. Etenim vnumquemque appendet ille* spirituum Ponderator Deus *(vt eum vocat Sapiens) in statera sua iustissima, quæ nec falli potest, nec fallere. Væ, si quis inueniatur tunc minus habens, minus vtique ponderis & valoris, minus religionis, pietatis, obseruantiæ, quàm professio deposcebat: sic enim fiet, vt instar nummi reprobi reijciatur, igniq; tradatur. Attendenda est manus illa, calamusq;, scribens in pariete regio iuxta candelabrum, pauca ista verba, sed stupore plena,* MANE, THECEL, PHARES. *Licet enim verba hæc regium caput impetant, & ad Regem directa sint; tamen decretum continent omnes improbos concernens, quod eis terrorem incutere, errorémq; deberet excutere. Hæc enim capita-*

Prou. 16.

Dan. 5.

lis

lis eos manet sententia; numerauit Deus annos tuos, menses, dies, horas, momenta; appensus es in statera, & æquilibrio, quod manus tenet diuina, & inuentus es minus habere ponderis & valoris, quam à te exigebatur. Diuisum ergò est regnum tuum, anima à corpore, quod regebat diuisa, vt fiat vindicibus esca flammis. Durus est
Ioan. 6. hic sermo, & quis poterit sustinere illum? *Asperum planè verbũ; sed si quis & à laqueo venantiũ, & ab hoc verbo aspero optat liberari; appendat priùs ipse seipsum in statera veritatis, & incorrupti iudicij, & attendat obligationem statũs sui. Neque ponderet hac solùm iuxta stateram fallacem mundi, quæ frequenter nimium decipit ponderantem. Quæ est enim bilanx, pondusq; quo mundus sua ponderat, nisi amor proprius, amor sui, & suorum cæcus? Fallax vtique pondus, reproba est trutina ista; & illi conuenit verbum*
Ozee. 12. *istud Prophetæ;* Chanaan in manu eius statera dolosa. *Mundus Chanaan est, hoc est Negotiator, qui falsò decipit pondere, grauia apparere facit, quæ sunt caduca & inania: è contra tanquam leuia æstimari vult, quæ sunt æterna. Plerique qui monentur, vt velint põderare, & attendere ad status sui obligationẽ, vtuntur doloso sæculi pondere: afferunt enim prætextus multos, excusationes, consuetudines inolitas, vsus, aut potius corruptelas, quæ paulatim irrepserunt. Folia sunt hæc omnia, nec quicquam ponderis habent in bilance diuina; ficũs folia sunt, Adæ perizomata, quibus velatur nuditas, libertas, turpitudo. Excute hæc inania inuolucra; quisquis rectè examinare vis vocationem & obligationem tuam: statue faciem tuam ante faciem tuam, te ante te, sine adblandimento rectum iudicium obnubilante: nihil proderunt vela omnia libertatis, atque licentiæ, illo reuelante, qui nouit quicquid latet in homine, & quicquid requirit ab homine, pro diuersa vocatione, & professione.*

Parcite mihi, si vt commisso muneri satisfaciam, liberiùs loquar, non vult apparere veritas fucata, sed natiuo suo colore candida. Appendite in lance veritatis statum vestrum, & Ecclesiæ vestræ, vt ad meliora vos impellat. Videte an FVLDA, *quæ olim fulgida fuit,*

iam

iam non sit fuliginosa. Vbi pietatis antiquus vigor? vbi disciplinæ sanctæ rigor? vbi trecenti, aut quadringenti Religiosi, qui cælestem hic vitam olim duxisse scribuntur? vbi stricta cum silentio clausura & familiaritas cum Deo? vbi sibilus auræ tenuis, & susurri diuini loquentis ad cor? vbi studium sapientiæ ac scientiæ salutaris? vbi mutua meliorum charismatum æmulatio, & ad perfectionem feruens contentio? Nonne ita euanuere omnia, vt solum præteritorum remanserit honorabilis memoria, & pauca admodum vestigia? Describens grandem ruinam Propheta Isaias; Comminuetur, *inquit*, sicut lagena figuli, conteretur contritione præualidâ, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de foueâ. *Isa. 30.*
Ad eundem modum forsitan dicere quis potuerit, tantam esse antiquæ FVLDAE *spiritualem ruinam, vt difficile sit reperire fragmen testæ, in quo vel reseruetur igniculus de magno illo diuini amoris incendio, quo olim succensa cernebatur: vel quo hauriatur aliquid aquæ, de puteo gratiæ vbertim illam antiquitùs inundante. Certè cum ego* FVLDAM *cum* FVLDA *confero, nouam cum veteri, cuius fama apud cunctos percrebuit; illam à seipsa, toto vt aiunt cælo, distare reperio. Et si dixero vt olim:* Hæc est illa Noëmi; *videtur mihi respondere*, Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram: sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens. Plena fui, & vacuam me fecit Dominus; cur ergò vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliauit & afflixit? *Ruth. 1.* *Cumq; pleniùs eius statum circumspicio, & attentiùs considero, videor mihi audire vocem eius planctu plenam, & per verba Sapientis Iob suspirantem*: Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies, quibus Deus custodiebat me. Quando lucebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris: sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos bu- *Iob. 29.*

tyro,& petra fundebat mihi riuos olei. *Vtique Christus Iesus Mystica Petra*, FVLDENSI CONGREGATIONI, *cum foret illa in primigenio suo flore, in primaua sua atate, fundebat abundans oleum gratia; copiosam fundebat vnctionem charismatum spiritualium, qua eius alumni perfundebantur, & lauabant ac vngebant spirituales affectuum pedes. In diebus adolescentia sua, luce quoque diuina omnimodis cinctam, perfusamq; fuisse, testantur tot viri qui sapientia & sanctitate illustres ex ipsa prodierunt, & toto orbi innotuerunt. Speciali verò fauore circumcincta gaudens gaudebat in Domino; qui loquebatur ad cor eius, in secreto tabernaculo; & afflabat ei suauem spiritus sui auram in secreto silentio sonoram. Multi quoque eius filij in circuitu agebant, in circumuicinis Cœnobijs, seu Præposituris Domino seruientes, & Matri obedientes. Quid enim vicini illi Montes, & Asceteria, Mons B. Mariæ, Mons B. Petri, Mons B. Andreæ, Mons B. Michaelis, Mons B. Ioannis? Quid inquam, nisi habitacula seruorum Dei, castra pænitentiæ, domicilia filiorum, Matrem circumdantium & circumspicientium; velut lineæ, quæ à centro ductæ respiciunt centrum? Meritò igitur ipsa dicit:* Omnipotens erat mecum, & filij mei in circuitu meo. *Meritò & nos ob sacras illas in Collibus habitationes, de illâ dicimus:* Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. *Psal 124*

Ad pristinos ergo felices illos dies, floridaq; tempora aspirat, quibus germinans germinabat quasi lilium, cum gloriâ Libani, cum decore Carmeli, & Saron, cum gloria Domini, *quæ priùs fuerat solitudo deserta, & inuia. Neque desperandum est, poterit adhuc similes videre dies; si voluerint filij, quos genuit, audire vocem Matris plangentis. Mœrore enim confecta est, quod sterilis sit, fecunda olim mater filiorum timentium Dominum. Desolata est, quod videat statum, & decorem suum temporum decursu sic immutatum, & emarcidum. Equidem dum eius statum, per varias sæculorum reuolutiones, ad hanc vsque ætatem decurrentem, secundùm annales vestros perlustro; videtur mihi non absimilis statua* *Isa. 35.*

Nabu-

Nabuchodonoforis Regis, cuius caput erat aureum, brachia argentea, pectus æreum, tibia ferrea, pedum pars ex ferro, pars ex luto. Per caput designo primordia, siue prima sæcula Religionis hic instituta; hæc omninò fuere aurea, charitatis feruore, rutilo pietatis colore. Successere sæcula aliquot argentea, hoc est ob doctrinam, & sapientiam peritissimorum hic virorum, instar argenti splendida. Deinde refrigescente charitate, neglectoq; sapientiæ studio, ærea sæcula subrogata fuere, in tantum scilicet à primæuo fulgore degenerantia, in quantum æs degenerat ab argento, vel auro. Denique ferrea, & lutea sæcula videre, & pati est coacta. An non ferreum sæculum, in quo filij & subditi, Abbatem & Principem de reformanda disciplina cogitantem, coniunctis cum hæretica nobilitate viribus propria sede exegerunt? Immò per annos quinque supra viginti, exulem eum agere coegerunt; donec tandem Cæsarea potestate vrgente, iterum inauctoratus est, & postliminio restitutus, vt ex annalibus vestris pernotum est. An non luteum sæculum, in quo multi hic religione & Sacerdotio initiati, castitati libellum repudij dantes, infixi sunt in limo profundi, *in concupiscentiæ luto immersi,* & qui spiritu cœperant, carne sunt consummati? *Eheu qui debebant esse* filij Sion inclyti, amicti auro primo, reputati sunt in vasa testea, & amplexati stercora. *Gal. 3.* *Quid igitur mirum, si* FVLDA *luctū paret, lugubremq; vestem, syrma funereum, instar Matris amantis, & lugentis, instar* Rachelis plorantis filios suos, & nolentis consolari, quia non sunt? *Thren. 4* *Hier. 31.* *Deplorare mihi cū ea liceat ruinosum eius statum, & verbis Ieremiæ dicere;* Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides Sanctuarij per plateas? *Thren. 4* *Quomodo pietas illa antiqua, instar auri rutilans, ardor, & zelus perfectionis religiosa, instar ignis flammescens, obscuritatem contraxit, & fuliginem? Quomodo color optimus innocentiæ, & puritatis, color ianthinus conuersationis cælestis, viror disciplinæ & humilitatis, ita emarcuit? Quomodo illa, quæ decore suo cælestis Regis, spirituumq; supernorum ad se intuitum alliciebat, fusca nunc est, & decolorata? Illi qui debebant*

bebant esse lapides Sanctuarij, lapides à Deo electi, & dilecti, quomodo in plateis Babylonia inueniuntur dispersi, in lato itinere mundi, corde & corpore vagi, iacentes in vitijs sæculi? Et quid mirum, si fortè à transeuntibus proteruntur, aut conculcantur; si religiosi status dignitas, prout decet, non agnoscitur; quandò vita vocationi non correspondet, quandò in via lata & lutosa Religionem professi passim reperiuntur?

Verumtamen non ità insolitum videri debet, si aurum & argentum, præ situ & senio, rubiginem quandoq; contrahat & obscuritatem; si color speciosus antiquitate detritus, quandoq; depereat; si ædificium etiam benè structum, vetustate collabascat. Sic nec adeò mirum, si Religio olim florens & rutilans, sensim deficiat à pristino flore, & splendore. Sed aurum obscurum & rubiginosum iterum igni traditur, vt clarescat. Imago decolorata iterum depingitur, vt species eius appareat. Domus collabascens fulcitur & renouatur, ne funditùs concidat. Ita hæc sacra Religio nouo eget feruore, nouo Spiritus S. igne, scoriam omnem & rubiginem excoquente, nouo colore, vetusta maceria maculosas lituras obliterante, noua restauratione, vt ad primæuum decorē possit innouata redire. Ad hunc finem tendit Illustrißimi ac Reuerendißimi Legati Apostolica visitatio, qui totis visceribus charitatis anhelat ad vestram gloriam, ad vestram salutem, ad religiosæ nobilitatis vestræ decorem. Optat in domo ac religione vestrâ adimpleri illud Domini apud Isaiam: O paupercula tempestate conuulsa, ad tempus ego dereliqui te, & in miserationibus magnis ego con-
Isa. 54. gregabo te. Disponam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris: ponam Iaspidem propugnacula tua, & omnes terminos tuos lapides desiderabiles. *An non id aptè* ECCLESIAE FVLDENSI *congruit? Videte id particulariùs. Fuit illa diues non tantùm opibus terrenis, sed & donis ac charismatibus cælestibus; ædificata tanquam Religionis Sacra Basilica, & Arx Principalis, cæteris norma. Habuit fundamenta speciosa & pretiosa, Viros omni sanctitate conspicuos, Viros cælestes, quasi*

Sapphy-

Sapphyros & Iaspides, qui lucem & virorem sapientiæ & pietatis, longè latèque diffuderunt Religionis eximij propugnatores. Filij eius erant quasi lapides pretiosi à Domino electi & sculpti, quia digitus Dei in tabulis cordis eorum legem sanctam insculpserat. Verùm temporum variâ tempestate, Fulda & concussa est & conuulsa. Terrenæ opes ex parte dilapsæ sunt & alienatæ, vt meliùs me nostis. Et vtinam quæ remansere, in alios vsus non conuertantur, quam in eos, quos poscit patrimonium Benedicti & Bonifacij, hæreditas Crucifixi, mensáque Fundatorum, qui eas sunt impertiti. Opes etiam cælestes, maxima ex parte temporum iniuria cernuntur perijsse. O igitur Paupercula tempestate conuulsa! Lutherana tempestas plurimam tibi vastitatem attulit, & aliorum temporum clades, religioni sanctitatique tuæ damnum grauissimum inflixit, cuius vestigia remanent vsque modo deploranda. Sed nunc si volueris, inquit Dominus, & nisi domus exasperans fueris, iterùm disponam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris & Iaspide, sanctisque propugnaculis adornabo: id est per ordinatam disciplinam, per cælestem conuersationem, per recentis pietatis virorem, cupio te iterum innouare; & in pristinum splendorem reuocare. At quomodo istud fieri poterit? Attendite quid idem Propheta dicat: Vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum, & ædificabunt deserta à sæculo, ruinas antiquas, & dissipatas erigent, fundamenta generationis, & generationis. *Isa. 61.* *Videtur his verbis quodammodo Propheta describere, quæ modò geruntur in* ECCLESIA FVLDENSI *restituenda & renouanda. Vocauit etenim Reuerendissimus Abbas ad eam viros fortes, veræ iustitiæ sectatores. Accersiuit ex longinquis Heluetiæ oris, ex nobili S. Galli monasterio, religiosæ disciplinæ constantes æmulatores, & propugnatores. Aduocauit simul Tyrones, vt sint* sicut nouellæ plantationes in iuuentute suâ, *ad renouandam Nobilis Cœnobij huius senectam: ad glorificandum Deum, vt sint hi* Filij Sion, qui exultant in Rege suo, & laudant nomen eius in choro. *Ipsi zelo, & exemplo erigent antiquas regularis disciplinæ*

plina ruinas, monastica religionis deserta readificabunt: erigent electos muros, probos mores, iacientq́, fundamenta generationis, & generationis noua Filiorum Dei, Filiorum Benedicti. Ad id eos exhortor, vt infracto pergant animo, primordijs iam benè iactis; vnâ manu adificent instar Filiorum Israel, alterâ pugnent contra hostes inuisibiles, qui semper noui Spiritualis adificij ruinas moliuntur. Pergant constanter Hierusalem nouam, Ciuitatem pacis, & visionis hic in terris construere; donec tandem

Tunſionibus, preſſuris
Expoliti lapides
Suis coaptentur locis,
Per manus Artificis,
Diſponantur permanſuri
Sacris ædificijs.

Quis interim, nisi mentis sit exasperata, & exasperantis, non debeat desiderare labefactati spiritualis adificij ruinas erigi? Quis potest iustè conqueri, capiti aut membris sauciatis cataplasma, medelamq́, adhiberi? quis inuideat hortum aut vineam Domini reparari, muro disciplina circumuallari, ne tota ab incursantibus animalibus deuastetur: aut diligentiùs excoli, ne deserta syluescat? In hoc incumbit Reuerendissimus Abbas, vt collabescenti Religioni manum supponat, aut collapsam è ruderibus suscitet, & stabiliat. Hoc ei cura, & cordi est, vt capiti & membris infirmis medelâ opportunâ prouideat. Hoc agit, vt vineam sibi commissam diligenti opera excolat, ne cogatur cum planctu tandem dicere: Filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. *Qui sunt Filij Matris sua, nisi vos eiusdem Ecclesia huius nobilis Filij? Nonne vos elegistis eum, & posuistis custodem Vinea huius sancta? Cur ergo modò velletis contra eum depugnare, & impedire, ne Vinea fidei sua concredita prouideat, & sedulam illius curam gerat? Cur velletis ei obsistere, ne sepem clausura sacra circumdet huic Vinea, ne turrim disciplina exadificet, ne diffluentis & luxuriantis libertatis infelicia*

Cant. 1.

cia germina resecet, & succidat; cum ad id teneatur, ne diuino obnoxius fiat iudicio? Cur vultis, vt culpam omnem in vos retorquere cogatur, & diuinum obtestari iudicium, ac dicere: Domine, si vineam meam non custodiui, Filijs matris meæ culpam adscribe; ipsi pugnauerunt contra me, qui in vineis custodem posuerunt me; ipsi culturam & custodiam vineæ meæ impediuerunt, durâ suâ ceruice, ac rebellione. Verè hoc non expedit vobis, sed potius decet monitum S. Pauli attendere: Obedite his, qui peruigilant rationem reddituri pro animabus vestris, ne gementes hoc faciant. *Heb. 13.* *Multi fortè prætextus, priuilegia, consuetudines, immo corruptelæ afferuntur à vobis, ad obsistendum reformationi sanctæ. Sed omnia hæc, vt verbis scripturæ vtar,* Vulpes sunt paruulæ, quæ demoliuntur vineas. *Cant. 2.* *Capite nobis vulpes illas, enecate, suffocate, vt hæc Vinea Domini iterum possit germinare, efflorescere, odorem dare. Multa consilia, quæ contexitis, sunt velut Vulpes Sampsonis, caudis colligatæ ad incendendam messem hanc, vel spem messis. Vultis vt verbo omnia complectar, & apertiùs eloquar? Non potestis sine crimine, aut conscientiæ discrimine, pio conatui Reuerendissimi Præsulis obsistere: quinimmo opitulatricem, ad sanctum adeò opus, tenemini manum porrigere. Caput ipse est, vos membra: non oportet membra à capite dissidere; sed ab illo influxum recipere, illi cooperari, illi se conformare. Hoc est, quod ex Apostolo diximus:* *Iud. 15.* Vnum corpus, vnus spiritus; sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ. *Itaq; zelum domus Dei, Ecclesiæ, ac Religionis vestræ cum eo induite, nec diuino vos iudicio reos obstringite.*

Hoc exposcit à vobis Sanctissimus D. N. VRBANVS *totis visceribus paternæ dilectionis; qui & expressè Illustrissimum Legatum suum ad id destinat, vt Pontificiam personam, auctoritatem, dilectionem vobis repræsentet: & is, vt videtis, in hoc negotium sollicitè penitùs animo se impendit. Quinimmò* FERDINANDVS *Augustissimus Imperator ad vestrã antiquã adspirans gloriam, idipsum suis litteris impensè commendat. Durum certè erit vobis* contra stimulũ calcitrare, *contra ictũ fluuij conniti, resistere contra faciẽ*

 poten-

potentis, tam Dei, quàm hominis : & superuacaneus conatus est, consilium quod ex Deo est, velle dissoluere. Conquerentem audio de quibusdam Sapientem Iob, & dicentem: Ipsi sunt rebelles lumini, nesciunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius: Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & sic in tenebris, quasi in luce ambulant. *Quidam cum apud eos agitur de moribus corrigendis, de vita melius instituenda, de reformatione suscipienda, rebelles sunt huic lumini: quasi vmbram mortis reputant, cum sit aurora quae eis exoritur, ad dissipandam caliginem: nolunt reuerti per semitas lucis, nesciunt & repudiant vias eius, & sic in tenebris quasi in luce ambulant, impingunt & nesciunt vbi corruant, & tandem aeterno praecipitio colliduntur. Videte, & cauete ne de talium numero sitis, aperite oculos ad auroram & lucem, quae iam affulget, & proponitur vobis, vt Filij lucis sitis. Hoc ipsum à vobis implorant tot viri iam beati, qui hoc in loco vos praecesserunt, quorum ossa tanquam sacra Patrum pignora adhuc conseruatis. Hi exstimulant vos ad sua sectanda vestigia, & ad id imaginem vobis vitae suae reliquerunt, tanquam sacram haereditatem, quae frequenter mentis vestrae oculis deberet obuersari. Audire mibi videor B. Bonifacium, sacrum familiae vestrae Parentem, auribus vestris insonantem illud Sapientis:* Nunc ergo filij audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Nunc audite disciplinam, & estote sapientes, nolite abijcere eam. *Quasi paterno affectu sic moneat: Nostis qua via ad metam peruenerim, quibus gradibus ad gloriam conscenderim, quam doctrinam & disciplinam vobis tradiderim? Si eam abijcitis & repudiatis, non est quod meum imploretis auxilium, vsurpetis patrocinium, deuoretis patrimonium. Etenim potiùs daturus sum contra vos acerbum testimonium. Clamabit coram diuino tribunali sanguis meus, pro fide Christi & religionis confirmatione profusus: dabunt vocem ossa mea sacra, quae tamquam pignora Patris asseruatis, quae vobis deberent esse monumenta verae pietatis, & stimuli virtutis. Quod si negligitis, iam non ego Pater, nec vos filij; quia Patris vocem non auditis.*

Iob. 24. *Prou. 8.*

Sed

Sed vereor, ne onerosus vobis nimiùm esse verborum meorum acrimoniâ videar, & ne veritatem pronuncians odiosus alicui fortè sim: nam & quandoq; agri insurgunt in eum, qui vlcus tangit, etiam vt sanet. Attamen existimo vos legisse apud Sapientem: Meliora sunt vulnera diligentis amici, quàm fraudulenta oscula blandientis inimici. *Prou. 27.* *Concludo igitur, & vnum hoc breuiter repeto. Quicquid à vobis Illustrissimus Legatus in hac visitatione postulat, idipsum requirit regula, professio, votum, quod coram Domino, & Christo eius, in atrio Domini, conscribentibus Cælitibus, obtulistis. Videte, ne vobis illud vertatur in laqueum, in ruinam, in perditionem. Idem requirit mens, & intentio Fundatorum, & Benefactorum, qui vobis adeò amplum legarunt patrimonium. Interim, si ea quæ ordinauit, & ordinaturus est Illustrissimus Legatus negligere, aut respuere vultis, vt suam ipse exoneret conscientiam, cogetur vobis forti voce, & animo cum Apostolo Christi Legato dicere:* Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quò minùs annunciarem omne consilium Dei vobis. Cauete ne post discessionem meam intrêt lupi rapaces in vos, & ex vobis ipsis exurgant viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: *Acto. 20.* *hoc est, qui illectent prauis consiliis aliquos de gremio vestro, ad euertendum, quod ad Dei gloriam est ordinatum. Sed meliora ominor, & precor; vnde sicut inchoaui verbis B. Apostoli Pauli, similiter coronidem adijcio verbis B. Petri Apostolorum Principis sic monentis:* Quapropter succincti lumbos mentis vestræ, perfectè sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam, in reuelatione IESV CHRISTI, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs; sed secundùm eum, qui vocauit vos sanctos, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si Patrem vocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundùm vniuscuiusque opus *(non discernens nobilem ab ignobili)* in itinere, incolatûs vestri *1. Pet. 1.*

H 2 tempo-

tempore conuerſamini. *Hæc Apoſtolus Petrus. Hoc ipſum & ego hodiè à vobis, per veſtram ſalutem flagito: per Ieſu Chriſti corpus & ſanguinem, in cuius conſpectu ego ſto coram eius ſacro Tabernaculo*: per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitat vos oriens ex alto: *per pignora Sanctorum Parentum veſtrorum: per omne quod in cœlo, aut in terrâ pretioſum eſt, & ſanctum*. Nolite conformari huic ſæculo, ſed renouamini ſpiritu mentis veſtræ; vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta: *odientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam, vt ait B. Apoſtolus Iudas. Tranſit enim ſæculum, præterit figura huius mundi, tranſeunt fluctus; manet autem luctus eos, qui illâ fuerint inuoluti. Et hæc quidem ſperans à vobis*, commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus. *Quā vobis impetret Diuus Pater veſter* BENEDICTVS, *& donet ille, qui eſt in ſæcula benedictus.*

Rom. 12.

Act. 20.

Sermo tam cordatus vſque ad pectorum ima peruaſit; effecitque, vt in animam diſpoſitam forma optima meliùs imprimeretur poſtero, qui proximè cōſequutus eſt, die. Erat is vltimus Menſis Iulij, Sacer Diuo IGNATIO Fundatori Societatis IESV, idemque Natalis Illuſtriſsimi PETRI ALOYSII CARAFAE Apoſtolici Legati; & vt nihil ſupereſſe poſſe ad omen videretur, Dominicam IX. poſt Pentecoſtem vltimus claudebat; in qua ex Oraculis Euangeliorum audiueramus ſonum lacrymarum Chriſti Domini flentis ſuper Ieruſalem, quià non cognouiſſet tempus Viſitationis ſuæ. Mandauit proinde Legatus omnem operam adhiberi, vt decreta, quæ inducta alicubi, aucta, & immutata erant (quaſi res ſolent, quę primùm in ſcedas dictando elabuntur) ad purum exſcripta mundarentur, & digeſta ordine quæque ſuo venuſtè referrentur in codicem; cui grande, vti ſit, ſigillum apprimi, & Legati nomen adſcribi poſſet. Totus quantus ferè fuit, tametſi longiſsimus, vt in Canicularibus, dies ægrè ſuſti-

sufficere potuit labori. Erant enim octoginta numero decreta, & pleraque longiuscula; vt circumstantias quæque suas exprimerent, nevè in eis quidpiam ex forensibus formulis deesse contingeret. Porrò placuit ea in quatuor diuidi classes,& primam Templo,eiusque procurationi; alteram Monachis priuatis;tertiam Præpositis; postremam Antistiti supremo dari. Longum esset hoc loco illa intexere: sicuti nec sunt admodùm apta ijs, quibus hæc scribimus; vt qui haud debeant Monasticen profiteri. Vt tamen libem ex eis pauca: Templum veste omni, & ornatu illustrui iussum est; extremâ enim gemebat sacrorum vtensilium inopiâ. Sublata sunt altaria plura,quæ situ & quasi contemptu squalebant, quæque semper laborassent numero suo. Asserta est Princeps Ara in augustum splendorem; procurato lychno puriore, & magis decenti sede sacramento Venerabilis Eucharistiæ. Cautum est quoque,vt Sanctorum Reliquiæ eruerentur è vilibus inuolucris; & thoracibus argenteis,gemmatisque verticibus, vel certè loculis inauratis includerentur: vt pro variâ festorum conditione in Aris collocari, & publicè coli possent. Castigatæ quoque in ipso Templo nudæ imagines;& nihil permissum,quod domum Dei, & domum orationis non deceret. Cœnobitis, quibus aptatæ ad tempus cællæ interim domicilium præbent, designata est noui Monasterij area, quod iacto primo lapide ad fastigium vsque magnificentissimè Abbas ære suo extruere meditatur; datæ pensiones annuæ, redditusque, quibus se & familiam alant. Proprij Tyrocinij est imposita necessitas, ne Tyrones alibi, extrà maiorum suorum oculos, exercere se debeât in eę vitæ Religiosæ primâ, & vmbratili disciplinâ; & præscripta Votorum formula, quæ dein Religionis Candidati profitebuntur. Imprimis verò statutum illud abrogatum est, quo adigebantur Nobiles ad gradus sexdecim nobilitatis, per Auorum stemmata, deducendos; quæ lex Fuldensi rei

magno erat incommodo; cùm enim sæcula iam plura sint, ex quo Fuldensis Congregatio id moris vsurpat, vt quando supremus Antistes, aut minores Præsides creandi sunt, Nobiles soli possint eligere, & possint eligi; ne fortè quis ortus obscuris Parentibus ad Diuæ Augustæ diadema tractandum emergat; calculis adeò priscæ nobilitatis arctabatur plus nimiò numerus Nobilium, & fiebat necessariò, vt pauci, nec interdùm optimi in Monasterio Fuldensi rerum potirentur, & suffragij ius haberent. Quare tantùm ad gradus quatuor per lineam vtriusque Parentis deinceps, vt olim, eundum erit. Præpositis adempta potestas testamenta condendi, & abolitæ leges quatuor, quæ dudum id permisere. Interdictus eis vsus bysſi, & holosericæ vestis, redditaque Monachi tunica & toga cum scapulari, & amiculo capitis, quem cucullum vocant: neuè in Odeo imposterum, qui admittentur, inter pullatos ceteros, candidati & linteati sedeant, prohibitum est. Dimidium decisum ex prouentibus eorum annuis, vt ædificia præpositurarū tam Templi, quàm Cœnobij, in quibus putrefacta omnia, imbribusque & ventis peruia, labem aut monstrant aut minantur, statim restitui queant; & post sustententur in eis Monachi iusto numero; cùm, si vnam præposituram excipias, ceteræ silentio, & solitudine mæstissimâ lugeant. Denique ordinata eorum comitia sunt, ita vt ad ea Decanus Maior, Abbate non conscio, vel non permittēte, passim cogere Præpositos nequeat; vetitum, ne mersi ære alieno audeant Christi patrimonium temerè prodigere; sed famulorum turbam, equos, venaticos canes, fastu non necessitate, domi aggregatos proscribant; ac in fine anni, putatâ summâ expensarum, rationem reddant administrationis Capitulo & Abbati; cui ita subijciantur, vt si oporteat, Præpositurarum excedere gubernaculis nutu eius debeant. Abbas ipse, cuius mores egregij cunctis exemplar sunt & norma vitę laudatissimę, nihil emendandum
nouis

nouis legibus Legato dedisset, si posset certò ad successores cum Præsidis munere transmittere mores suos. Necesse itaque fuit, tamquam non cum eo, sed cum Magistratu, quem gerit, ageretur, expensas ei plures & magnas, causa restituendæ rei Fuldensis præscribere, commendare Cleri copiosioris educationem pro Patriæ in orthodoxâ fide conseruatione, aut reductione; synodos, visitationesque frequentes, atque in præcipuis Monasterij nouum statum; tamquam Parenti, & Tutori. Hæc & id genus plura in decretis; quæ magis fusè prosequi non vacat. Præparata omnia sub vesperam erant, conuocatique (post Legatum, qui in præalto solio eminebat) Abbas, Præpositi, Monachi ordine consederant circà Aram Maximam; cum Scribæ Publico tradita decreta sunt, vt ex eius gradu superiore tractim & clarè recitarentur. Circumstabant verò ex Aulâ, quotquot erant Nobiles, & multitudo varia Ciuitatis; auebatq; intelligere, quod peroptauerat. Dnm leguntur, præcipitauit se nox, & lector lumine adhibito, non priùs absoluit, quam sesqui-hora post primas tenebras esset iam elapsa. Dein alia decreta nescio quæ seorsim adiuncta sunt, cum præceptis & pœnis aduersùs quorundam Monachorum contumaciam, qui Religionis signa deseruerant. Et tum omnibus perfectis Legatus, ita vt erat in toga Pontificia, procubuit in genua ante Aram Maximam, dum interim læto festoq; musicorum, & fidium sono, occinentibus organis, Hymnus TE DEVM decantaretur. Adiungebatur his omnium campanarum strepitus, qui auditus à Turri Aedis primariæ, excitauit sacras Aedes alias Ciuitatis; vt tanto gaudio æreis etiam ipsæ vocibus acclamarent. Ad Arcem inde Legatus & Princeps in Rheda inter hastatos milites deducti cùm facibus, publicè cœnarunt; interfuere autem epulo Decanus Maior, Præpositi, & aliqui ex primarijs; nevè ad lætitiam bene cumulatam eius diei quidpiam desideraretur, Phonascus cantu plurium, & alternatim

ternatim

ternatim ſymphoniaco cõcentu cœnæ delitias temperabat. Sic more Germaniæ, etiam hunc imperatæ, & acceptæ Reformationis conſenſum ſolemnes epulæ, hauſtuſque mutui, ſed ſobriè & innocenter propinati, celebrarunt. Propiores diei, quam Veſperæ, ſublatis menſis, ad cubicula ſeceſsimus lęti, fęlicem exitum viciſsim gratulantes: ſed deliberato perendie diſceſſu ab Illuſtriſsimo Legato, cum eâ cogitatione ſolliciti quieuimus. Fuldâ non digrediar; niſi contexam hìc narratione breui, quæ de tam cultâ Regione, & Principatu perueteri didicimus. Lucus inter Thuringiam, & Franciam finitimas oras obſcurus olim, ſed qui apertus Cælo, & datus moribus cæleſtibus, pulchrè ad famam enituit, fuit eius natale ſolum. Occaſionẽ præbuit Carolomannus Caroli Martelli filius, & MAGNI Patruus; etenim is, & Pipinus frater, altæ prouidentię Duces, rati Saxones diù contumaces, nunquam ad officia certa venturos, niſi Religione mitigarentur, cùm verè pietas fundet principatus; habuere in præteritis arma, & deliberarunt de expeditione ſacrâ ad ipſos deſtinandâ. Spe itaque fore, vt remitteret diuino cultu temperata barbaries, & vt aſsidua eorum, aduersùs Thuringiæ, atque Haſsiæ populos Francorum clientes, arma ceſſarent; BONIFACIO Moguntiæ Archipręſuli, & Sedis Apoſtolicę in Germaniâ Legato, viro ſanctiſsimo, Principes pij conſilium aperiunt. Dignus ille, cui tantæ victoriæ moles inniteretur: quia Monaſticen in Britanniâ, vnde ei genus, à pueritiâ coluerat, & huius decreuerat, Magiſter iam, Gymnaſiũ pandere; quaſi vellet caſtra figere Militię, vnde in Saxoniam excurſus, Deo ſacrati homines, haberent. Peropportunè autem Româ ſub hoc tempus redierat; & Noricos fines prætergreſſus, delectu ibi inchoato, cum pauculis Sturmiũ natum claris, & Chriſtianis Parentibus adduxerat. Sturmio ergò, poſt edita ſanctitatis clara documenta, vitamque Anachoretæ cum laude aliquandiu traductam, mandauit

Boni-

Bonifacius, vt sedem Cœnobio aptam inueniret; Nemusque placuit, quod sparsis radicibus spontè occupauerat plurima fagus; & hæc Regioni, dicta vulgò apud Teutones Buchen, indidit Buchoniæ nomen; Monasterio autem (& Ciuitati perindè) Fulda propinquus amnis alluendo vocabulum fecit. Areâ descriptâ, Carolomannus rogatu S. Bonifacij è saltu obiacente concessit Sturmio fundum mensurâ passuum trium millium, quàquà versùs, ad Ortum, ad Occasum, ad Austrum, ad Boream. Quæ verò postmodum Regio succreuit, Buchonia fuit tangens à Septentrione Hassiam, à meridie Franconiam, ab Oriente Saxoniam, atq; Thuringiam, ab Occidente VVederauiam, & Hannouię Comitatum. Annus fundati Cœnobij fuit septingentesimus quadragesimus quartus, in quo Sturmius ad initia septem dumtaxat Monachos: & ante obitum ampliùs quadringentos numerauit Antistes omnium æuo, & sanctimoniâ primus. Submiserat plurimos Bonifacius, deuocatos ex varijs oris, & præsertim ex Britanniâ; qui quantum à diuinis laudibus, & Religionis munijs subcesiui erat temporis, nemori succidendo, explicandoque intenti, euulsis truncis mansuefacere humum; æquare agros: noualia curare, & vndique aptare omnia vel habitationi, vel frugi. Non omisere tamen prouinciam aliam potissimæ destinationis: nempè vt in Saxoniam migrarent cum vexillo Fidei. Siquidem in eam adlectis præstantissimis Sturmius cũ CAROLO Magno persuasit, & demum expugnatâ Idolomaniâ, lucratus gloriosam appellationem, fuit Saxonum & Thuringorum Apostolus nuncupatus. Ex quo, anno Salutis millesimo centesimo trigesimo nono ab INNOCENTIO II. in Lateranensi Oecumenico Concilio, in præmium sanctitatis decorari Diuorum Apotheosi meruit. Bonifacius tamen decem annis à condito Fuldensi Cœnobio, pro Religione in Frisiâ passus, Apostolatui & infulis, Martyrij purpuram addiderat, cuius

triumphalis corporis exuuiæ, miraculo Fuldam deportatæ, venerationem loci plurimùm auxere. Ne manerent Vltraiecti, campanæ Vrbis sponte monuerant;& cymba eas,quasi remigem dedignata, Moguntiam sponte item aduexerat v. Iulij; trigesimo die, quàm in agone Martyr occubuisset. Ibi extis positis, & veluti dispensatis opibus, Fuldam deuenit S. Bonifacij corpus,vt miraculis eam collustraret. Visuntur autem hodieque cranium eius,mitrati Præsulis thorace argenteo decenter clausum, lineus amictus, manipulus, stola, annulus, cingulum, Pedum simplici opere, velut eburneum; atque adeò codex in martyrio discissus, itaque cęsim laceratus,vt scripturam tamen plaga non læserit. Creuit verò exinde loci religio; & Templum, quod ipse Sanctus Bonifacius apud Fuldam amnem exili,neque satis firmâ molitione posuerat, quasi rudis, & prima descriptio fuit, quam cultu magnificentiore posteri sæpiùs occuparunt; tametsi repetitis ignium, ac bellorum damnis excitatę moles non semel proruerint, succussæque fuerint ab ipsis propè fundamentis. Sic ab incendio,quo anno salutis nongentesimo vigesimo septimo conflagrauerat, nouis operibus restituta Basilica Fuldensis Adamari Abbatis sumptibus, fuit Calendis Nouembris anni DCCCC. XLVIII. à Marino Legato Apostolicæ Sedis dedicata, pręsente OTTONE Magno, qui miris priuilegijs Monasteriũ ornauit. Eã porrò frequentarunt non rarò Imperatores alij, atque vt produnt Abbatum vetera monumenta, anno millesimo decimo nono, etiã Romanus Pontifex BENEDICTVS cum HENRICO Imperatore,duo supremi totius Orbis Christiani Principes,præsentiâ suâ ipsam exhilararunt.Et tùm in Festo Apostolorum Philippi & Iacobi, Re diuinâ Pontificiâ Maiestate inchoatâ, dictoque Euangelio, Archidiaconus Romanus iussu Benedicti vetera Ecclesiæ huius priuilegia, coram HENRICO,& Procerũ frequentia legit;quę Pontifex auxit, & no-

& nouis diplomatis confirmauit. Non aliter creuere res, & ſtructura Cœnobij. Principio modicis tectis, & victu laboribus parto Religioſi vixerunt. Poſt iactæ moles, quibus non vtilitati modò, ſed elegantiæ, ac magnificentiæ conſultum. Situs apertum habuit occidentis latus, & ſeptentrionariam plagam ad probata Aquilonum flabra; noxium Auſtrum collis excludebat obiectus, iacebatque vndique ſolum pratis, paſcuiſque iucundum, & irriguum. Vetus domicilium ad meridiem, quà parte iam ex Oppido aditus in Baſilicam eſt, nouum ad occidentem ædificarunt, vt Religioſi habitarent propiùs ad Bonifacij Sācti Conditoris corpus; & in colle ad meridiem Abbas proprias Aedes, oppidumque, ſuo & aduenarum commodo, extruxit. Multitudo ingens fuit aduenientium ex omni ordine & ſexu, vt ſe hic (famâ diſciplinæ inuitante exteros, vicinoſque) diuino cultui addicerent; & grandi ſtipe erogata, tributiſque proprij patrimonij fundis Monachorum inſtitutum piè, ſanctèque profitebantur. Sicut autem Bonifacius, & Sturmius viros, ità mulieres inſtituerat, rexeratque Lioba virgo ſanctiſsima, quæ ex VVimbrunenſi Monaſterio à ſancto Bonifacio accerſita, ad Virginitatis hìc pœnè extinctæ decora ſexum fœmineum excitauit. Quarè copiâ quadam ſanctimoniæ factum eſt, vt nō vnis tametſi magnis Aedibus comprehenſi, paulatim inſederint propinqua loca: & ſunt mirati vicini colles repentè ijs impleri ſe, qui diurnâ, nocturnâque prece perſonarent, immolarentque Deo ſacrificium laudis. Itaque breui factum eſt, vt Aedes Primaria, quinque Monaſterijs ſuper colles & montes in eius conſpectu poſitos excitatis, pulchrè coronaretur; quæ Præpoſitos, & Magiſtratus à Principe Cœnobio, ſicut & ab Abbate ius, & leges accepêre; atq; his, qui erāt illorum Præſides, ſua in maiore Congregatione prærogatiua, repetundæque ſtationis libertas ſemper manſit. Subiecta item illi fuere alia Mona-

ſteria circiter decem; & iucundum erat, tot familias coaleſcere in vnam quaſi rempublicam hominum piorum: ſed ex his duo tantùm iura huius Monaſterij iam agnoſcunt; cum reliqua octo Abbati quæque ſuo pareant. Similiter à Virginibus eiuſdem Ordinis habitabâtur Cœnobia nouem; ſed tria dumtaxat in Fuldenſis Eccleſiæ poteſtate, ac ſolo ſuperſunt. Diſciplinam Sturmius ex Italiâ tulerat, acceptis legibus Ordinis S. Benedicti è Caſsinenſi monte, ad quem conſultò miſſus in eum finem à Sancto Bonifacio fuerat. Vitæ modus erat priſcæ ſeueritatis: abſtinebant carne, vino, & ſicerâ, ſtetiſſetque victûs ratio intrà hos fines; niſi regio Cæli non mitiſsimi Ludouico Pio auctor fuiſſet, vt à Gregorio Pontifice Monachis lenius indultum obtineret; nec ij ceſſaſſent à laude inſtituti primæui, niſi legis gratiam feciſſet legum ſummus Arbiter. Cœnâ quoque Monachos toto anno caruiſſe (incertum ob abſtinentiæ ſtudium; an ob anguſtias rei familiaris, ſpatio ſæculorum, & Abbatum incuriâ vaneſcentis) lego inter res geſtas Marquardi Abbatis huius nominis Primi. Is enim in ſcripto rerum ſuarum commentario, cenſus peculiares affirmat ſe annuos deſignaſſe, quibus veſperi Religioſis Fuldenſibus cœna, quâ ſemper caruerant, pararetur. Et fuit hic inter Antiſtites ordine trigeſimus ſextus, cœpitque Monaſterij gubernaculum anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo. Abſque ſeruis etiam diù Monachi ſibi alimenta ipſimet miniſtrarunt, Apoſtoli exemplo laborantes manibus ſuis; fuereque amictûs, habitûſque Sancti Benedicti longo æuo retinentiſsimi, quod exemplo proditum eſt anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo octauo. Etenim Marquardo, qui alter huius nominis Abbas ordine quadrageſimus nonus fuit, (quoniam habitu monaſtico non vſque delectabatur,) in publicâ ſupplicatione primores Monaſterij vel inuito veſtem religioſam, & cucullum, magno cum rubore, iniecerunt

runt

runt, coram frequenti populo;ademptâ togâ lautiore suffultà pelliculis, quâ vtebatur, & quam ponere aliàs monitus recusauerat;sedenim correctio hęc secreta meliùs audiuisset. In peruetusto membraneo codice pingitur Cœnobitarum huius Monasterij habitus duplex, alter tunicato similis, & is familiarior; alter qui togatus, laxus, ac fluens fermè inter diuina, vel ad publica munia vsurpabatur. Quamdiù ordinata,& constans vitæ forma eos rexit,sanctè claustris continebantur;& ne humana fragilitas,si ijs quasi carceribus non cohiberetur,in prauum iret,nullum custodiæ genus abundè ducebant.Litterarum etiam addidere præsidium, quæ animæ latus egregiè muniunt aduersùs Dæmonis,Mundi,Carnisque blandas,&cœcas artes. Priusquàm verò doctrinæ copia domi suppeteret,delegêre ingenia primę indolis & spei, quæ aliò,vt sapientiam haurirent, emittebantur ad studia, referebantque eruditionis famam. Post acciti ex Insulis Britanniæ sunt Viri ingenuarum, & sacrarum disciplinarum laude præstabiles, qui in opaca hæc intimæ Germaniæ nemora, omnigenæ litteraturæ lumen inferentes effecere, vt quicquid hìc erat stuporis & inertiæ, extergeretur; & sic Auctoribus suis Fulda quoquè illustris fuit. Horum ducta series est à Bedæ Discipulis,docuitque aliquandiu Fuldæ Albinus Flaccus CACOLI Magni institutione clarus; post quem è Sapientum exedris opes ingenij explicarunt varij, plenis subsellijs Auditorum, qui confluebant ex totâ Germaniâ, Galliâque. Habiti verò sunt inter primos Haimo, Vsuardus, Freculphus, Rabanus, Hatto, Luitbertus, magna nomina sæculi, in quo non ita elato supercilio, sicuti iàm, Censores ingenia ponderabant. Tanta virtus, & sapientia pari gressu cum felicitate ibat, cui nihil ad vota defuit, siue honores, siue opes & potentiam spectes. Domus Religiosa Fuldensis, in quâ submissionis studiũ custodem, & quasi Ianitorem agebat, non potuit esse diu honori clau-

ſa; quia honorem eundem, quem affectu reſpuebat, quodam principatu morum, & priſcæ virtutis merito accerſere comperiebatur. Antè annos, ampliùs, quingentos litteris Ricchardo Abbati à IOANNE Pontifice datis appellata eſt ROMANAE ECCLESIAE FVLDENSIS FILIA SPECIALIS; donoque inſuper, velut Ciuis Aeternæ Vrbis, accepit cum areâ & prædijs Monaſterium Sancti Andreæ, iuxta Baſilicam Sanctæ Mariæ ad Præſepe. STEPHANI Papæ priuilegio ſoli Sedi Apoſtolicæ ſubjecta declaratur, ita vt Epiſcopus nullus in Monaſterio Fuldenſi, niſi inuitatu Abbatis, celebrare poſſit. Qui Abbas accepit ſemper à ſupremo Romano Præſide ſacri honoris munimenta, ab eoque infulis, & inſignibus ornatus, poteſtatẽ habuit procurandi rem diuinam, cum Cydari, & annulo, in dalmatica & ſandalijs. Seſſionis quoque honor ei per omnia Germaniæ, Galliæque Monaſteria cum titulo Primatis obuênit, additumque eſt à SILVESTRO Pontifice nominatim, vt totâ Germaniâ in eis publico conuentu primum ordinem ſedendo, iudicando, conſilium habendo tueretur. In Imperio autem ſedendi honore ceſſit Epiſcoporum nemini: nec defuere Abbates, qui priuatâ humilitate potiora ducentes ornamenta, Regum & Principum conceſſu Religioni tradita, ſæpe ea propugnarunt ſtrenuè, & vicère cum gloriâ. Romæ (vt omittam de Epiſcopo Hildesheimẽſi) dum LOTHARIVS Imperator ab INNOCENTIO Imperij diademate ornaretur, Fuldẽſis Abbas Archiepiſcopo Magdeburgẽſi, ortâ de loco contẽtione, præſedit. In Conuentu Moguntiaco item, anno milleſimo cẽteſimo octogeſimo quarto, hoc honoris faſtigium adiudicatũ ei fuit, præ Archiepiſcopo Colonienſi, à FRIDERICO Aenobarbo. Fortaſſe quatenus, ſicut Archipræſul Moguntinus Archicancellarius Imperatoris, inter Antiſtites & Procere reliquos primus ſedet; ita ſedendo Fuldenſis Abbas Archicancellarius Auguſtæ, Cæſaris occuparet alterum latus?

tus. Certè hoc munere Archicancellarij ante annos quadringentos enituit, quod in CAROLI IV. diplomate Henrico Abbati, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo, stabilitum fuit, additumque insuper est, vt quoties Imperij Romani Augusta vel Regina cingi diademate, vel purpurâ indui, solemni ritu debeat, Fuldensis Abbas coronam deponat, & eam rursus vertici reddat. Iura demum Regalia, quæ vocant, habuit semper, vt quisquam alius in Imperio Princeps; nec defuit ei Principis iurisdictio; nam in Oppido Fuldensi, vicinisque pagis subiectæ Patriæ, summum imperium exercuit vitę necisque. Aulæ quoque splendorem aluit, habitans Arces cum propugnaculis, & circùm se ministerij causâ ex equestri nobilitate, ex Comitum, Ducumq; stirpe Clientes videns, Aduocatos, Camerarios, Pincernas, Dapiferos, Vexilliferos. Extat medio pauiméto Aedis primarię lapis, quasi circino circumducto aliquatenùs in gyrum eminens, in eoque ex ære fusæ manus quatuor æquali spatio in totidem plagas collocatę visuntur, indice & medio digito iurantis in modum exertis, duobus verò infimis conclusis. Monumentum id ex famâ, & traditione veterum passim interpretantur, quatuor Prouinciarum Thuringiæ, seu Hassiæ; VVederauiæ; Saxoniæ; Bojariæ debita huic Ecclesiæ sacramenta præstantium. Ita vt notetur inde, Magnates earum Principesque, hac iuris iurandi formâ, ei se fidemque suam olim obstrinxisse, defensionemque illius professos esse. Porrò patrocinijs magnis indigebant opes, & fundi copiosi, ex quibus Monasterium Fuldense prædiues adeo excreuit, vt vel sub ipsis primis exordijs mole fatisceret sua. Aucto numero Monachorum aduenarumque, non ita multo post à condito Cœnobio; cœptæ foris in omnem partem deduci Coloniæ, & propinquis agris Cællæ exædificari; in quibus Religiosorum annona seponeretur, condereturque quidquid è prædijs, fundis, & villis annuè colligebatur. Et quo-

quoniam has cellas Religiosi Patres-familias habitarent, ornari aris Templisque debuere: vt qui ex eis Præfecti annonæ ibi morabantur, locum ad pias preces non desiderarent. Certa deinde pensio Cellis singulis tributa: omnesque mansere Primigenio Monasterio subiectæ. Singularia, quæ olim Fulda possedit, spatia terrarum vestigare, & complecti hoc Breuiario velle, audax calami adeò contracti sane facinus esset; cũ Christophorus Brouuerus scriptor Societatis Iesv, qui iusto volumine Fuldenses Antiquitates operosè iuxtà, & eruditè prosequutus est, vbi huc in Historiâ ventum erat, dixerit; *Magnæ nauis tabulas non omnes, sed enatantes, quà licuit, arripuimus; relictis in medio quoque fragmentis nonnullis, haud gnari penitùs, quem locum in hac olim compage tenuerint.* Quare ego solummodo complectar ea, de quibus adhuc supersunt diplomata, vel documenta: & à reliquis, vtpote incertis, abstinebo perinde, atque religio est post tempestatem in indignati gurgitis littore arripere bona naufragorum. Exiguum initio loci patrimonium, & spatium agri angustè in quadrum euntis, vt irent Cæli plagæ, Regum liberalitate tantum deinde tenuit terrarum, nemorum, pascuorum, & aquarum; præter Fuldam amnem, & cognatos riuos minores pisce prædiuites, vt saltuum fines per famosissimam Hercyniam late diffuderit; nemora, venatu ferarum, & saginâ perquàm vtilia, immensa possederit; villas, coloniasque rusticas innumeras totâ Thuringiâ, Boioaria, varijs trans, & cis Rhenum aruis habuerit: ex quibus tantum importabatur annonæ, vt Fulda Populos nutrire, tectis continere, & tegere vestibus abunde posset. Pauca, sed potiora accenseo. Primum solum vndique Cœnobio propinquum, vt dixi, donauit Sturmio Carolomannus; qui ad ceteram liberalitatem erga præclarissimũ Ordinem Sancti Benedicti, hoc etiam addidit, vt ex Domino postmodùm fieret in eo Monachus, tantæ demissionis, atque virtutis, vt Abbatis iussu

ſu greges loci paſceret is, qui Populos rexerat,& claudicantem ouem ad caulam humeris referret, qui regnorum pondera ſuſtinuerat. Pipinus Rex huius frater eidem Sturmio pagum Onumſtadt attribuit,qui ad fiſcum Regium pertinebat. Ab exceſſu Pipini CAROLVS filius cognométo Magnus, vbi ad Franciæ ſceptra peruenit, Sturmio item poſſeſsiones longè plures,& inter has Hamelburgum dedit, iam oppidi ſpecie in Germaniâ ſatis notum. Vnum hic non ſileo,quod his, qui de loco Nataliũ CAROLI Magni tanti ſyderis certant, vt non ignorent Gallica & Teutonica Natio, vtram is illuſtrauerit ortu ſuo, compertum eſſe oporteat. Eſt in antiquis codicillis Abbatiæ Fuldenſis CAROLI donatio in ea uerba, quibus planè eius conceptionis origo prodi videtur. Nam inter alia; *Donamus,* inquit, *& contradimus Domino Noſtro Saluatori,Sanctoq; Bonifacio Martyri, qui in Fuldenſi requieſcit Monaſterio terram conceptionis noſtræ; hoc eſt totam comprouinciam, circa flumen Vnſtrudt, ipſamq; chortem noſtram in Vargalaha,cum omnibus compertinentijs ſuis,& cum omnibus villis longè,vel propè poſitis, quæ ad eam reſpiciunt; cum omni proprietate; ſicut eam nos à Parentibus noſtris in proprietatem accepimus.* Perhibent autem priſcæ ætatis homines,Pipino, dum illic cũ S. Bonifacio in eadem chorte ageret; diuinitùs indicatũ; Magni CAROLI ipſum,hoc eſt ſobolis auguſtiſsimę,felicẽ futurum Parentem. Adhęc Emchilta CAROLI Magni cognata, ſeceſsione facta ex Parthenio Cœnobio, quod ſibi, & ſacris alijs Virginibus ædificarat in loco,qui Mileze nuncupatur; ob frequentes eruptiones Barbarorum ex Boemiâ, ad Monaſteriũ S.Liobę demigrauit,deditq; Abbatiæ Fuldenſi, cum extructo priore Cœnobio acTemplo,prædia quinquaginta quinque,quę loco illi addixerat;&donationẽ CAROLVS MAGNVS anno octingenteſimo confirmauit. HENRICVS SANCTVS Romanorum Imperator Auguſtus,hortatu piæ Coniugis Chunigundæ, addidit Comitatum Stod-

K den-

denstadt. Tagolphus Comes Boemus Regionem suam, id est Prouinciolam sitam iuxtà fines Boemiæ, Monasterio Fuldensi consecrauit;& hãc pariter CAROLVS MAGNVS, anno octingentesimo primo, firmauit annulo suo. Hertacus Princeps Saxoniæ, stirpe regiâ prognatus, Fundos maximos duos legauit, imperante OTTONE Rufo Magni OTTONIS Filio. Ante hunc, Comes alius Saxonicus Nomine Bennith, Amalunco Parente defuncto, quicquid terrarum is in Buchoniæ saltu nouando, serendoque ad vberem cultum perduxerat, factus heres, annuente CAROLO MAGNO Fuldensibus,&Sancto BONIFACIO dicauit. Porrò agri exculti tantum erat, vt duas eius longitudo, totidem latitudo,& circulus leucas magnas sex ambiret circa Visurgin. Ex OTTONIS II. diplomate constat Adelbertum Archiepiscopum VVerinhario Abbati cessisse fundis,& omni iure, quo Magdeburgensis Ecclesia in Australis Thuringiæ prouincia,& Comitatibus Saltzungæ, Cruciburgi, atque alibi terrarum potiebatur. ERKAMBERTVS locupletissimus Præsul, è Saxonicis agris addixit Deo,& S. Bonifacio innumeros propè fundos; de quibus hæc vetus membrana; numerus Mancipiorum, ducenta quinquaginta tria; Villarum, viginti tres; Prædiorum, centum septuaginta. Sed cum præstet, vt omittam HATTONIS Moguntini Archiepiscopi,& Regni Cancellarij amplam donationẽ factam regnante LVDOVICO in palatio Triburiensi,&plures item aliorum Antistitum;ne epitomen scribere me, obliuisci videar; Quatuor Ecclesiarum tributa, quas constituerat S. Bonifacius, postquam Bojariam conuerterat, nempe Salzburgensis, Batauensis, Ratisbonensis,& Frisigensis hoc loco silere non debeo. Adlecti in eas quatuor Sancti Martyris discipuli, gratitudinis symbola erga Sanctũ Præceptorẽ,& Fuldensem Familiam spontè singuli hæc instituerunt. Obtulit Saltzburgensis Ecclesia in Oppido Halla domum,
&

& fontem salis, cùm adiectis vtensilibus :.& hinc annuè talenta duodecim exigebantur. Ratisbonensis quatuor Vineas, & quatuor regales *Mansos* instructos famulitio, & his quæ faciunt ad reliquam Ruris œconomiam. Singulis quoq; annis Fuldam transmittere Piscem immanem, nomine Husen, debebat : & de oleo arborum, quantum equi duo in lagenis ferrent. Piscis ille, quem exossem plerique statuunt, illabi solet in Danubium, aliosque amnes Ponti miscellaneos; & ab ALBERTO MAGNO, item Ecclesiæ huius Antistite, sic describitur, vt discedat longitudo eius in quatuor & vicenos pedes, cum adoleuerit maximè. Prætcrea ossibus nullis (quod mirere in tanta mole) structura eius intexitur; carnis vero color, & sapor sturioni est multùm absimilis. Similia dona olei, & piscis tribuebat Ecclesia Batauensis: & Frisingensis finitima Alpibus, atque altis montium Italiæ iugis, quotannis caseos prægrandes offerebat; itàque harum Ecclesiarum quatuor Antistites primi, velut nobiles, & diuites filij Ecclesiæ Fuldensis, matrem charissimam alebant. Absoluam congerie confusâ prædiorum, quæ Regum, & Imperatorum CAROLOMANNI, PIPINI, CAROLI, LVDOVICI, LOTHARII, ARNVLPHI, OTTONIS, CONRADI, HENRICI Sancti, & aliorum Principum, Antistitum, & priuatorum hominum pia liberalitas Fuldensi Abbatiæ aggregauit. Sunt adhuc in Monasterij antiquis codicibus documenta, quæ ostendunt possedisse in Saxoniâ *Mansorum* tria millia; totidem in Thuringiâ, & hinc vtrobique decimas, è centum tredecim pagis, fuisse collectas; tria item millia *Mansorũ* in Prouinciâ Hessonum, & & VVetereibiorum ; totidem in Prouinciâ Rheni, atque VVormatiæ; tria millia pariter in Prouinciâ Boiariâ, & Sueuiâ. Quæ si omnia simul accenseas, iudicabitur facilè, summam Fuldensis patrimonij in excelsum niti ; & vix vllam Archiepiscopalem Sedem ei diuitijs, ac vectigalium magni-

mentis; ſed experti etiam, vt fert alea belli, vtramque fortunam, & pro viciſsitudine præliorum, honore exire coacti cum Regibus, qui exautorabantur, & quorum ſequuti partes in bello fuerant. Numerum Bellatorum, quos in re florenti potuerint Abbates Fuldenſes alere ſtipendijs ſuis, definire abſque errore arduum ſit; nec affirmare audeam, aut negare, quod Iuſtus Lipſius, ſcriptor hac ætate maximus, perhibuit; nempe Abbatem huius Eccleſiæ præbuiſſe in hoſtem bellatorum ſexaginta millia. Sed opes, honores, potentia in Abbatia Fuldenſi diu innocenter habita, incœpere ambitus atque auaritiæ tabe infici miſerè; & tum rei familiari deceſsit plurimùm, Religioniſque diſciplina perijt. Ambitioſis obſequijs frequentatæ Regum aulæ, venaleſque in Palatio infulæ, ac nundinæ dignitatum, quæ proſtabant maiora offerentibus, Fuldenſi Monaſterio, quemadmodum & plurimis Germaniæ, labem, & ruinam intulerunt. Sæpe Antiſtite ſepoſito Abbatiam adminiſtrarunt ipſimet Reges; conceſſere eam non ſemel Archiepiſcopis Moguntinis: interdum è Monachis præfecere, quem non Religio, ſed Aula commendaret. Damno fuere etiam feliciora tempora, quando ſecuritate nimiâ Præpoſiti, contenti prouentibus ſponte datis non coactis, ſiuere per deſidiam in plurima Monaſterij prædia Laicos inuadere, & ea iniquè tranſmittere etiam ad poſteros. Sic integra magna prædia, & fundos locupletes Dynaſtæ, Coloni partes agrorum vſurparunt; Pauperes quoque iugera ſiluarum ſibi ſeponebant, repurgabant, ſubigebant aratro; & ſtatim ſe agelli iam Dominos, gloriabantur. Adhibiti aliquando moderatores labenti rei, ſed parùm ſecundo exitu; etenim conati ſanare malum œconomiâ, & domeſticâ parſimoniâ, nihil quicquã profecere; quia hæc lenis medicina ſerò parabatur, & aduſtio aliqua vel ferrum ſaluti ſolùm conducebat. Idcircò CONRADVS Rex Secundus, redux ex Ieroſolymitanâ expeditione, Saracenis profligatis,

Cent. 3. Miſcell. ep. 21.

cuncta in Abbatiâ Fuldensi exhausta, exinanitaq; reperiens, inopiæ eius ingemuit; & Abbatem deligi cupiens, qui subleuandæ esset, Monasterij clauo Marquardum huius nominis primum, in quem suffragia Religiosi tulerant, altero Treuiris ab EVGENIO Papâ exautorato, præfecit, Romamque, vt inauguraretur, ad eundem EVGENIVM cum epistolâ regiâ, & duobus Episcopis Basiliensi, & Constantiensi misit. Is ergò, Fuldam vt reuertit, Regi CONRADO animi magnitudine haud planè impar, accepto auxiliari decreto, agros, fundos, prædia reuellere è manibus cuiusuis iniqui possessoris cœpit; quanquam fuit sæpè violenta res, stetitque multorum occidione recuperatio, adeo vt non nisi irrigati sanguine ad pristinos Dominos agri redirent. Castra dein Bibersteinium aduersùs hostes, & inuasores; Haselsteinium aduersùs conciliabula furum & prædonum, qui consuerant clanculùm ibi nidulari, extruxit magnificè; & Castrum etiam Bemmelburgi mœnibus, vallo, propugnaculis muniuit; vt si ingruerent bella, eo confugeretur securitatis causâ, donec armorum vis, & tempestas detonaret. Quin imo totam Fuldensem Vrbem muro circumduxit, valloque, & aggere muniuit; atque his artibus præsidijsque Fuldensem aliquatenùs restituit rem. Verùm cum frequentibus defungi casibus, & ruinis quassari debuerit, vltimum damnum intulit ei seditio Rusticorum in Germaniâ, & hæresis superueniens, quæ Religionem loco detraxit; Religiosos vestem, Subditos officium exuere docuit; totamque polluit Patriæ ceteroqui florentissimam nobilitatem. Exin Templorum, & Religionum sperni cultus (Monachis idcircò vsurpantibus Cleri togam, retecto scapulari) refringi claustra; leges censeri odiosæ res; dulcedine libertatis omnes inescari; demum prouentus ex Crucifixi patrimonio annuè congesti in luxuriæ triumphum duci. Dum verò, tantâ acceptâ lue, præcipiti lapsu, mores antiqui profluerent, paulatim eo

ventum

ventum eſt, vt in Præpoſituris omnibus, demigratione fa-ctâ, ſolitudo fuerit; ceſſarint perennia ſacra, ritus, aræ; ſu-perfundente ſe eis Lutheranâ impietate: adeò vt nos hodie-que in earum aliquâ nihil præter minantium tectorum hia-tus, computrefactaque tigna inuenerimus: & in vnam ea-rum dumtaxat Monachi reſtituti ſunt. Item in Monaſterio primario redacta res ad Decanum, Præpoſitos quinque, & Monachos reliquos (ambigo, an exaggerem) non plures. Lu-theri quippe ventus vrens, effecit ſuo afflatu venefico, vt in horto Benedicti tàm ſpecioſo tot centeni flores, & ſtirpes virtutis omnigenæ feraces, ità ſubitò exareſcerent, perirent. Atque erigendæ huic iacenti, proſtratæque Reipublicæ Re-ligioſorum, in quam incumbens charitate magnâ IOANNES BERNARDVS Abbas, & connitens Cohors præſtan-tiû Sodalium è Sancti Galli inter Heluetios præclarè inſu-dabant, PETRVS ALOYSIVS CARAFA Epiſcopus Trica-ricenſis, perquam opportunè adfuit, Apoſtolicus Adiutor. Qui diem vnum, à promulgatione decretorum, dedit con-trouerſijs, ſi quæ ſupereſſent, cognoſcendis, dirimendiſque; & tunc ei cum Principis liberalitate fuit diù certandum. Etenim is, indignum ratus ſine donarijs ab ſe Legatum di-mittere, parauerat, quæ illi, & familiæ in obitu offerret. Quam Legatus rem odoratus, SILVESTRO PETRA SANCTA Presbytero Societatis IESV, qui ei eſt à Confeſſioni-bus, vſus eſt; vt P. OSWALDVM HEGWEIN Presbyterum eiuſdem Societatis ſeriò hortaretur, adiret Principem, & quandoquidem conſcientiam eius regit, Legati nomine do-na illa deprecaretur; vt pote quę Sacri Canones, & ipſe quo-que Viſitationem inchoaturus, impreſsâ edictione vetuerāt. Sed ille à Principe retulit; ipſum venerari Sacrorum Cano-num, & Legati leges; nec opinari, ſe aduersùs eas quicquam agere; clauſam iam Viſitationem eſſe, & abſoluta omnia; nihil corruptelæ metui poſſe; imò quæ offeruntur, non dari pro-

ſit, & intus de eo nuntianti Legatus mandauit, hæc referret. Viſitanti Præſuli dona interdici, & metu cenſurarum & obligatione reſtituendi duplum. Eſſe proinde cur ipſe donum neceſſariò reſpueret: tum quia cenſuras formidaret; tum quia peregrè ageret in alieno ſolo, vbi non vtique ſibi ad reſtituendum ſuppeteret dulcium eiuſmodi liborum & cupediarum duplex modus, qui ex pœnâ reſtitueretur; atque ita ſuauiter munus, quod nequidem aſpexerat, remiſit. Duos præcipuos ex Familiâ Legati, Io. BAPTISTAM DE NINIS, & ANTONIVM ABVNDANTIVM à ſecretis, noluiſſent ſaltē ipſos grati animi ſignificatione vacuos redire, vt eos, qui Legato propiores munere & labore fuerãt: ſed hi quoq; proximã Heri laudem æmulabantur, cuius rei dedêre ſpecimē tentati ſæpiùs nomine Principis. ABVNDANTIVS etiam accerſitus ad Prępoſiti vnius domum, pridie quàm abiret; ad limen ipſum interrogauit, ecquid ſe Præpoſitus vellet? audit *memoriale* offerri debere; reſponſio facilis hominis ingenio fuit. Si ſcriptum illud eſt, inquit, accipiam vtique; ſecùs abnuo reſpuoque, ſi ære factum aut fuſum: & erat argenteus ſcyphus elaboratus affabrè, atque auro litus; qui Aedes eâ vice veteris Domini non mutauit. Hoc ſuperato, vel ſaltem (quod poſtea comperimus) per quaſdam inducias dilato hinc liberalitatis, hinc modeſtiæ certamine, IV. Non. Auguſti, cùm parata eſſent profectioni omnia, adfuêre Illuſtriſsimo Legato Decanus, & Præpoſiti, vt abeunti valedicerent, præfati à gratiarum actione, ob ſuſceptum onus Viſitandi. Et tum eos Legatus allaudauit; quòd ita obſequioſo aduerſum ſe, & Sanctam Sedem animo fuiſſent; in quo ſatis expreſſerant fidem & nobilitatem ſuam. Commendauit deinde impensè, vt factis & moribus affirmarent decreta Viſitationis, in quæ laudabiliter voce, promiſsionibuſque conſenſerant; & vt Abbati prȩſtò eſſent, præberentque auxiliatricem manum, pro diſci-
L plina

plina Monasterij erigenda, enixè rogauit. Post hæc inter cōfertam multitudinem Nobilium & Religiosorum adeuntium, vt exoscularentur manum, & vt nixi genibus Apostolicam benedictionem poscerent venerabundi, quibus Rosaria & numismata cum indulgentijs piacularibus à Legato distribuebantur, descendit cum Principe ad Rhedas viatorias quatuor, singulas equorum sex, si quadrigam vnam excipias, quæ traditæ à Principe, vt nos Aschaffemburgum vsquè deducerent; ibi enim Illustrissimus Elector Moguntinus Legatum opperiebatur, sicut eum non Seligenstadij modò, sed Fuldæ quoque humanissimè per expressos Nuncios geminos inuitârat. Præcessit Rhedam Nobilium equitatus, eratque à vestibulo Arcis diffusa in plateam numerosa Militum armatorum cohors, quæ egressui nostro adhæresceret, & honoris causâ comitaretur. Stetêre omnes cum adpositis ad furcinulas bombardis, donec ad hastatos ventum est, & tum ordinato agmine mota est cohors, vt per Vrbem Rhedarum vtrumque latus honoris causâ tegeret. Ante primum autem vehiculum, in quo Legatus ac Princeps erant, pulchrum spectaculum fuit, quoties ad aream aliquam Ciuitatis, aut laxiorem plateam perueniebatur; vexillifero, inter citatissimos timpanistarum sonos, agitante & obuoluente in gyrum vndantia signa, dum intereà constanter cum agmine toto graderetur. Sic Vrbem egressi ad Neouij Arcem venimus, vbi prandio lautissimo excepti, liberaliter, vt in digressu, nobis inuicem non tamen vltimò propinauimus; quia Princeps cum Aula tota Legatum comitari voluit vsque ad postremos limites Patriæ Fuldensis, vt contineret se tantùm intra fines eius, visus in hoc interim egredi propè fines humanitatis. Hic dùm ex Rhedis, ex equis descendimus, atque in complexus mutuos salutationesque promiscuè ruimus, confluere è medijs agris plurimi cum scyphis, cum lagenis, & largè merum infundere; quo Princeps primùm

J mùm

mùm Legato, dein ordine cæteris, & hi vicissim alijs simul propinant, simul prosperum iter,& incolumitatem vouent, atque ominantur, vino commodissimè, quia symbolum est aperti animi, studium amoremque pectoris interpretante. Hoc pacto postquam amicissimè multa Legatus ac Princeps iterauerant; manibus comprehensis,vt mos Germaniæ fert, discessêre ambo, Nobilibus vtrinque salutatis. Nobis verò instar gratissimi solatij fuit in viâ commemorare laudes, tam Religiosi Antistitis, atque humani Principis, qui inter Abbates Fuldenses ordine sexagesimus nonus, nulli postremus est, si mores sanctimoniamque conferas, & virtutem virtutibus committas;adeò pietate, ac modestiâ excellit, & excelso nihilominus atque intrepido in ijs animo,quæ communem Religionem promoueant, aut priuatam Ordinis S. Benedicti disciplinam augere possint: Cuius vtique si forma deesset,illam ipse,sicut & optimi Principis, substitueret oculis;nec aliter, quàm propositâ imagine moris sui. Eo die (vt iter nostrum,& quę cõtigêre in reditu,paucis expediam) is qui à Confessionibus est Illustrissimo Legato,sub vesperam egressus ex Rheda eius sponte adequitabat, & quidem longiusculè,vt asperioris vię conditio ferebat,cùm se illi ex alterius viæ latere adiunxêre comites duo, ambo Caluiniani,sed alter professione Medicus,alter Miles,dum verò ille humanè admodum colloqueretur; Miles blaterabat nescio quæ indignabundus,ac fremens,quod cum Papista, & Iesuita confabularetur.Erat verò tam clarè ebrius,vt capite nunquam satis firmo,dextrorsum,sinistrorsum vndique ruinam ex ephippio minaretur; demum eò furoris agi cœptus est illa duplici vini, & Caluini ebrietate, vt apprehenderit vnam è bombardulis pendulis ante nodum ephippij explosurus in hominem Societatis,qui rectà ipsum anteibat.Fortè is,in descensu viæ decliuis, verterat se metu; ne equus illius, vt erat, sessore ebrio expers prouidentiæ, in equum

 pro-

proprium ingrueret;& armatam hominis manum vidit,quæ res effecit vt ille detectus in theca bombardulam locârit: Quarè, tametsi non planè gnarus periculi sui, vectatione lentâ ad Rhedas retulit se: & interim duo Milites Principis Fuldensis, qui cum Tubicine Equites præibant, re intellectâ, hominem aggredi, & confodere; vel certè despoliare armis, & equo voluêre: fecissentque nisi Medicus excusatâ ebrietate iustam illam vltionem fuisset deprecatus. Milites illos nihilominus clementiæ pœnituit, & veriti Principem, si ea resciret: petiuêre veniam, quoniam haud vtique hominem defendissent. Nemo tamen minùs se hoc pacto defensum voluisset, quàm qui discrimen adierat, vt qui nè quidem sensum discriminis,propter ignoratas iniurias quas Germanicè tùm euomuit, præseferebat, & solummodo rebatur triumphum manibus impiorum ex odio religionis mori. Nocte tractati in hospitio ab antemissis Famulis Principis Fuldensis, & meridie in Oppido Gelhausen, multò ante primas tenebras, ex Arce Aschaffemburgi in Rhedâ Electoris, qui ex podagra non optimè valebat, obuios habuimus P. Io: Reinardum Ziglerum & Nobiles aliquot ex Aula; inque Arcem intrà spatium horarium ingressi sumus. Legatum excepit Illustrissimus Elector summâ humanitate, ex quâ morbi incommoda, lectulo decedens, aut dissimulauit, aut superauit. Tametsi à Legato sæpius rogaretur, vt parciùs officia vsurparet, & valetudini propriæ plusculum indulgeret, quæ vtiquè non priuata videri deberet, cùm totius Imperij valetudinem tangat. Cœnam & prandium altero die in Aula Princeps Elector, vltimam verò cœnam in Collegio Societatis IESV Legato apparauit, & vtrobique Conuiua interfuit. Rhedæ Fuldam remissæ sunt, & quod spatium negotijs quibusdam cum Illustrissimo Electore tractandis superfuit eo die, datum est inspectioni Arcis magnificentissimæ, quæ ex secto lapide,

qua-

quadrata, & in angulis quatuor turrita, cum fossa vndique, quam alluunt vberes aquæ, meritò admirationi est structurâ, & magnitudine suâ. Sed intus etiam eius latet admiratio, nec in summis modò partibus Aedium, aut medijs, sed in imis, & subterraneis, vbi cauea ingens, concamerata, in quadrum excurrit vastis vini dolijs plena, quæ tamen singulis annis implentur, & quod mireris exhauriuntur. Minora vasa, quæ sesquidolium Italicum singula censeri possunt, numerare noluimus, veriti ne multitudine nimiâ fatigaremur. Itaque tantùm enumerauimus ea, quæ post hæc minima, maiora & maxima nobis visa sunt. Illa erant quadraginta quinque, & continent singula dolium Italicum nouies, hæc verò sexaginta duo; singulaque capiunt idem Italicum dolium duodeuigesies. Et sanè in vase tantæ laxitatis Cynicus ille Philosophus domûs doliaris habitator potuisset non ipse modò haberi commodè, sed Cynicos alios, imò Alexādrum etiam, cui hic vnus orbis suffecisset, hospites excipere. Mutuis obsequijs valedixêre sibi Legatus & Elector; à quo naui prandio instructâ dimissi Mœno secundo descendimus Francofurtum, donati honorario vino Seligenstadij ab Abbate, qui admonitu tubicinis aduentum Legati cognouerat, & ad ripam obuius illi fuerat. Francofurti familiâ relictâ in Cœnobio Carmelitarum, vt pro cœnâ rem cibariam interim curaret, Legatus nigro Cleri habitu, & is qui ei à Confessionibus, accito viarum Duce, Vrbem lustrauit Ciuium frequentiâ, & mercimonijs claram: duo ex famulis iusto interuallo anteibant, & duo sequebantur, ne agnitus per plateas iret. Contulit verò se ad domum equestris Ordinis Theutonici, vbi Patres Capuccini amicum hospitium habent, dum à Senatu hæretico expectatur consensus FERDINANDI Cæsaris litteris, qui eos in Ciuitatem admitti pro potestate mandat: & ibi rem satis disponi gauisus est, pro qua etiam ipse commendatitias

ad Cæſarem dederat. Hùc vſquè comitati fuerant nos ex Aulâ Principis Fuldenſis aliqui, & dum ferè apertas vlnas ad vltimos complexus haberemus, obluctandum iterum inſidianti blandè eorum liberalitati fuit. Torques aureos, & appendicis loco numiſmata magna item aurea, in quibus imago Principis formata nitebat, (in Germaniâ Nummi gratiæ vocantur,) præterea gemmatos annulos attulerant; vt familiæ toti diſtribuerentur. Perſuaſio erat fore, vt extra ſolum Fuldenſe iam, abſque noxæ religione, ea poſſent capi. Sed mutata quidem fuerat regio, manſerat tamen eadem religio; & vrgebat Illuſtriſsimi Legati præceptum; idcircò haud aureæ catenæ illæ quempiam ligârunt. Itaquè datis iucundiſsimis amplexibus mutuò, ſoluimus Francofurto Moguntiam naui conductâ: noſtra enim nauis quia moles maior erat, quàm quæ poſſet in Mœnum ieiunum tunc ab aquis vberioribus, illabi; Rheno ad Moguntiæ portum incubabat. Hîc Legatus ad Collegium Societatis, vti aliàs, expectatus diuerterat, eique in cœna Decanus maior Eccleſiæ Cathedralis, & alius Canonicus aſsêdere iucundâ, & comi hilaritate. Poſterâ etiam die Legatum is ad nauim deduxit; & è Capituli Telonio, quod eſt in littore Bingæ aduerſo, vinum honorarium offerri mandauit, exploſis tormentis, dum præternauigaret. Ventus tam erat eo die infeſtus, & reluctans ſecundis Rheni fluctibus, vt horas ſex naui nos hærere, partim in anchoris, partim ad littus oportuerit; nec alijs diebus aura magnoperè fauit. Apud Confluentes Rheni & Moſellæ, Legatus exſcendere voluit; & ad Collegium Societatis improuisò adueniens, vetuit ne quid pararetur, cùm maturaret progredi, vt appelleret certò ſequenti die Coloniam Agrippinenſem; & cùm veniſſet tantùm, vt Illuſtriſsimum Electorem Treuirenſem breuiſsimè alloqueretur. Mittit proinde ad Aulam eius Auditorem, qui ſpatium ſermoni peteret; & Elector Legatum tam aduenìſſe tacitè

L 3 demirans

demirans Collegio statim adfuit, atque ad Aedes proprias eum aduexit. Dum negotia hîc expediuntur; vnum expediri ęgrè & vix poterat, nimirū vt eâ, quę supererat, particulâ diei abiretur; cùm ipso illo momento plueret, & nox atra, vtpote illunis, instaret. Attamen, in deliberatâ re, Elector nihil impetrauit, & Legatum ad nauim vsque comitatus est; cui Nobilem vnum ex Aula, cum cœna etiam adiunxit, & hospitium, propè ad leucam vnam in Arce proxima nobis destinauit: adeò in repentino aduentu & exitu Legati Pontificij Princeps ille abundauit significatione honoris, atque prouidentiæ. Coloniam ergo peruenimus, excepti in Cœnobio Ordinis S. Dominici, & procuratis ibi, quæ ad rem cibariam, ne optimis Religiosis aduentus noster oneri foret. Cętera disposuerat R. P. Thomas SERGRIFIVS Italus, Sacræ Theologiæ in Academia Coloniensi Professor, & ingenio peræquè, ac natali solo florentissimus. Illustrissimus Princeps & Episcopus Verdunensis FRANCISCVS A LOTHARINGIA, & Coloniæ Decanus Maior, fieri voti compos voluit; quo præoptabat, aliquando in mensa domi suæ Illustrissimum Legatum excipere, tractauitque prælautè; cuius Rheda is ex ea Vrbe excessit alterâ die; & indidem equis Leodium triduò vecti sumus; cùm propè Coloniam, ad horas itineris circiter duas, Abbas Brauuillacensis Ordinis Sancti Benedicti occurrisset Legato in via regia, iuxta proprium Cœnobium, vt prandium, ad quod ipsum inuitauerat, offerret, si minùs in mensa, saltem in vlnis famulorum. Sed enim egit gratias Legatus, vt qui paulò antè à mensâ ad equos properauerat iturus tempestiuè Iuliacum; & nos haustu contenti, qui in Germaniâ nescit repulsam, ambulanti epulo permisimus, vt ad triclinium, cibis illibatis, sicuti venerat, rediret. Leodij sospites, gratulationibus Amicorum vix aures atque animos dederamus, cùm Illustrissimo Legato Medici auctores fuêre Spadam iret ad salubres

eas

eas aquas. Iuimus; vidimus; bibimus, & vini quidquid in Germaniâ potaueramus, ibi aquarum medicatarum haustu vel eluimus, vel temperauimus. Locus est iuxta Leodium salubrium perennitate fontium celeberrimus; quorum scaturigines in Oppidi valle, in montibus frequentantur, & in eis plurimi bibunt salutem. Hîc à negotijs feriari animus debet, & otia ducere; seu in colle lubeat; seu nemus placeat, seu magis arrideant prata; quæ si vmbram optas, inuenies omnium horarum. Hîc ambulare in gramine, iocosè consabulari; imprimis verò bacillis ludere; quibus inniti, ferè Spadana lex videtur. Bacillos eos fabri ferro infernè cuspidant; ponitúrque duplex meta, ad quam ita illi iaciuntur, vt stare debeant humi defixi. Iactus melior baculi est, qui steterit metæ propior; & in id aliqui dexterrimè absque errore collineant. Sic motu illo faciliùs aquę perfluunt. Harum verò desiderio vt egerantur secedere à ludo, Spadæ cunctis decenter licet. Appetitus domum refertur, qui si non prodessent aquæ, sanum hominem solus redderet: siue aëris clementis sit ea vis; siue ita ferat ingenium aquæ. Hîc Fuldâ litteras à Reuerendissimo Antistite Legatus accepit, in quibus nunciabatur incœpisse felicem Reformationem, & solemni ritu admissos Tyrones; aliosque plures, etiam Nobiles, ad id certatim adspirare. Quin & ei, qui à Confessionibus est Illustrissimo Legato, scripta elogia sunt, de illo & de familiâ; quæ hîc interseram vt mihi & socijs meis sint dulce quoddam inuitamenti genus ad eiusmodi laudes merendas potiùs, quàm optandas. Pater Lambertus Strauius Rector Collegij Societatis IESV hæc in litteris datis 27. Augusti habet post multa; *Viuat Illustrißimus Dominus* CARAFA, *& Familia eius sancta. Si pridem tales Germania nostra diuini honoris & Pontificij nominis assertores habuisset; non iam cum tot vndique obstaculis promouenda fidei, ac bonorum morum colluctaremur.* Ad hæc P. Iacobus Liebst Sacerdos eiusdem Socie-

tatis,

tatis, ac Regens Seminarij Pontificij; *Vſurpatur*, inquit, *vbique de Illuſtriſsimo Legato elogium hoc; Collaudabunt multi ſapientiam eius; admirabuntur omnes abſtinentiam eius, totiusq; Familiæ. Præſtat hanc famam retuliſſe, quàm aurum.*

Hæc de itinere Fuldenſi, vt Amanuenſi labor adimatur, non vt edantur publicè, impreſſa ſunt; Amicis enim petentibus tranſmittenda erant. Data ſunt Typis, dum erant adhuc atramento madida. Ne multis; temerè in paginam coniecta ſunt, magis vt ſcriptura fluebat, quàm vt Scriptori lubebat.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 8. lin. 12. inuocatis, lege *innouatis. Pag. 14. l. 5. referrent, l. referret. Pag. 41. l. 26. ſacratos, l. ſacratas. Pag. 55. l. vlt. in itinere, l. in timore. Pag. 57. l. 10. iuſtrui, l. inſtrui. Pag. 65. l. 23. Cacoli, l. Caroli. Pag. 66. l. penult. Procere, l. Proceres. Pag. 75. l. 22. obitu, l. abitu.*

APPROBATIO.

ITER FVLDENSE *Illustrissimi ac Reuerendissimi Episcopi, ac Principis* PETRI ALOYSII CARAFAE, *Nuncij Apostolici cũ potestate Legati Lateralis, operâ & studio* CAELII SERVILII *delineatum, quòd non pauca salutaria complectatur documenta ac monita, prælo dignissimum iudico. Datum Kal. Octobris* 1627.

IOANNES A CHOKIER
Canonicus ac Vicarius
Leodiensis.